







Disputatio Iuridica

De

SERVITUTIBUS  
PERSONARUM, PERSONALIBUS, ET REALIBUS.

Quam

SUPREMO NUMINE ANNUENTE, ET  
*Amplissimo Ictorum ordine in celeberrima VVitte-  
bergenſium Academia conſentiente*

SUB PRÆSIDIO

ſpectatiſſimi Clariffimi & Excellentiffimi Viri

DN. MICHAELIS LEDE-  
RERI J. U. D. JURIDICÆ FACULTATIS  
Adfeſſoris & pr. t. Decani, nec non Judiciſ Electo-  
ralis Curie Advocati,

*Publica diſquiſitionis gratia exhibet*

HEINRICUS SCHRADERUS

BRUNSVVICENSIS SAXO.

*In Auditorio Ictorum,*

Ad diem 29 Martij horis à 7. matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI, ANNO

M. DC. XXII.





*Clarissimo, Consultissimo, ut & Doctissimo*  
**VIRO,**

**Dn. JOHANNI KALM, J. U. D. Co-**  
gnato, Fautori ac Promotori summe  
colendo.

**NEC NON**

*Clarissimo, Consultissimo, ac multijugâ rerum*  
*scientiâ Prestantissimo VIRO*

**Dn. HENNINGO SCHRADERO,**  
Consuli Reipub. Brunsvicens. meritissimo Patri  
suo dilectissimo.

In debitæ observantiæ & filialis obsequii  
tesseram hoc legale exercitium dica-  
tum consecratumve vult

**HEINRICUS SCHRADERUS,**  
*Autor & Respondens.*





Handwritten decorative border at the top of the page, consisting of two rows of repeating floral and geometric motifs.

# CUM DEO.

## THESIS I.



**D**EUM TER OPTIMUM TER maximum omnium, bonorum, quæ unquam oculis aspeximus aut aspicere poterimus, ut conditorem & creatorem, ita & eorundem conservatorem, & ex eo omnia & per eum omnia esse, *l. cum recta s. C. d. Sum. Trin.* quis unquam negare aude- ret? Hoc enim qui argumentis sat firmis- simis undequaq; ad abundantiam afflu-

entibus astruere conaretur, sane aut ipsum multa deserere, aut ipsum à tempore deserere esset necesse. Quapropter ut ex multis unicum assumamus, ejus misericordia sat clarè eludet ex eo, quod etiam post tristissimum Adæ lapsum non omni planè ratione, quod pro justitiâ optime potuisset, hominem priva- re voluerit, sed naturales quosdam rectæ rationis igniculos in eo conservaverit, & custodiverit, quorum beneficio jam etiam ho- mo novit, Deum colendum, ( licet modum verum, utpote qui Theologicus est, & ab homine quatenus homine cognosci ne- quit, ignoret, attestante enim *Paulo 1. ad Cor. 2.* ea quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei, & animalis homo non perci- pit ea, quæ sunt Spiritus Dei) parentes honorandos, liberos alen- dos, & educandos esse, eorundem etiam igniculorum instinctu homo, utpote *Φύσει ζῶον πολιτικόν Arist. 1. Pol. 2.* ad societatem civilem & cognationem, quam natura quandam inter nos con- stituit *l. ut vim 3. ff. d. Iust. & Iur.* arripiendam, & ambabus quod dicitur ulnis amplectendam, impellitur. Ast clarius adhuc ejus- dem





dem providentia & erga homines ardens amor patescit ex eo; quod non solum hosce igniculos voluerit conservare, sed etiam, cum tanquam Deus omnipotens & omniscius præsciret & prævideret, hanc societatem absq; justitiâ, & hanc administrante Magistratu, diu non perduraturam, (Nam ut *Lud. Vives lib. 7. de causis corrupt. art. à princip.* inquit: Res ipsa testatur, Hominem conditum esse à Deo ad societatem, ac in vitâ hac mortali & in alterâ illa sempiterna; Idcirco & gluten ei societatis addidit, animum ab benevolentiam mirificè appositum, quæ benevolentia ex ardore interno foras ebulliens ac respectâs, refrigerato ardore illo intrò se recipit ad seipsam, ut quisq; tenerrimè se unum amet, in reliquos rigidus atq; asper. Quæ esset maximorum in vita tumultuum causa, quâdo ad se & suas utilitates, quantum quisque vel ingenio valeret, vel viribus pertraheret: nisi in locum mutua benevolentia Justitia successisset, quæ avidas manus comprimeret, atq; ab hominum convictu injuriam omnem arceret, & *Arist. 1. Pol: 2.* inquit: sicut homo animalium est optimum ita sine justitiâ, sine Jure, & Lege est omnium deterrimum) media, ut communis omnium patet N. 98. cap 2. in fin, ipsi naturæ, per quæ hæc societas possit conservari, indidit & aliquos ad scepra Reipub. tenenda & gubernandum aptos, reliquos verò ad obediendum & obsequendum ceu naturâ habiles creavit: unde *Augustinus lib. 1. quest. sup. Gen. 6. 153.* Hæc, inquit, in Dominationibus & servitutibus clara Justitia est, ut qui excellunt ratione, excellent Dominatione: quod cum in hoc seculo per iniquitatem hominum perturbetur, vel per naturarum carnalium diversitatem, ferant justii temporalem perversitatem, in fine habituri ordinatissimam & sempiternam felicitatem. Et *Plato* (attestante *Lago in Method. Juris Civ. part. 2. c. 3. n. 8.*) *dialog. 4. de legib.* dicit: Deum Reip. non præficere homines, hoc est quemvis humana specie natum, sed qui naturalibus animi virtutibus communem hominibus concessam facultatem superant, quos Heroas vocamus, qui imperio divino & non humano ad res prudenter & fortiter gerendas rapiuntur. Et idem *Dial. 3. d. leg.* inquit: Prima dignitatis recta ratio est, ut genitores natis imperent, secunda, ut ignobilibus generosi,



generosi, tertia ut junioribus seniores, quarta, ut Domini servis: quinta, ut potentioribus imbecilliores serviant: sexta, & quidem omnium maxima est, quæ secundum naturam ignorantes sequi jubentur, prudentes autem ducere ac dominari. Hinc est quod *Arist. lib. 1. Pol. c. 3. & 4.* asserit servitutem esse à natura.

II. Et hanc servitutem cum *Golio lib. 1. Pol. cap. 3.* definire placet, quod sit naturalis subjectio, quæ quis alterius consilio & arbitrio volens cum suo commodo regitur.

III. Servus autem est instrumentum sui Domini animatum, ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, naturam quidem in eius potestate existens, sed tamen ab eodem separatum.

IV. Dicitur autem servus *Instrumentum*: quia in omnibus artibus, quæ ad certum aliquem usum sunt destinatae, necessaria sunt quaedam instrumenta, quibus in agendo vel efficiendo opere utimur: Ita etiam in arte domesticâ Dominus utitur operâ & ministerio servi, tanquam instrumento ad negotia domestica expedienda.

V. Dicitur ulterius, *naturam in eius potestate existens*: Naturam enim servos facere constat ex eo; quod hæc semper sibi scopum habet propositum utilitatem & necessitatem; Servitium autem & Dominium maximè utile & honestum esse, neminem esse qui ambigat credimus. Accedit & alterum Philosophorum axioma; Deum videlicet & naturam nihil facere frustra, cum hic hominibus aliis dedit ingenium excellens prudentiâ & dexteritate, ut non solum sibi ipsis, sed & aliis bene consulere possint, taleque horum ingenium est, ut aliorum Imperium ferre, nequeant. Hinc testante *Arist. 3. Pol. 3.* Jason dixit; se obedire non posse, cum ad imperandum natus esset. Et *Plutarchus in Them.* refert: Themistoclem declinasse à se suspicionem defectionis ad Persas, ex eo, quod non esset vero simile ipsum servitutum, qui natus esset ad imperandum. Econtra autem sunt aliqui ita naturam comparati, ut licet non possint propter ingenii imbecillitatem, ea quæ recta & utilia sunt ex seipsis perspicere & intelligere: tamen facile patiuntur



tur se ab aliis regi & doceri: Et quorsum hæc ingeniorum di-  
versitas, & cupiditas regnandi naturæ innata? nisi exinde natura  
quosdam ad dominandum, quosdam ad obtemperandum na-  
tos esse assereremus. Quid? quod multò dilucidius nobis o-  
stendunt exempla, in quibus semper apparet pars, quæ eminent  
& quodammodo ceteras partes regit & gubernat. Sic inter  
omnes stellas reliquas principatum obtinet Sol. Sic Homo  
constat ex anima & corpore, Animæ autem potius debetur  
Dominium quam corpori. Animæ rursus plures sunt poten-  
tiæ, inter quas principatum merito Ratio obtinet. Hinc Cic.  
*in lib. 2. d. nat. Deor.* scribit: Omnem naturam, quæ non sim-  
plex, sed cum alio conjuncta & connexa est, necesse est habe-  
re in se aliquem principatum: Ut in homine mentem, in bel-  
lua quoddam simile mentis, unde oriuntur rerum appetitus, in  
arborum autem, & earum rerum, quæ gignuntur e terra, ra-  
dicibus in esse principatus putatur. Principatum autem id di-  
co inquit, quo nihil in quoquo genere nec potest nec debet esse  
præstantius.

VI. Servos autem jam tales dicimus, qui propter ra-  
tionis & ingenii imbecillitatem, neq; sibi ipsis quæ sunt utilia  
prospicere, neq; etiam seipso aut alios rectè regere possunt: eo  
autem corporis robore & virtute præditi sunt, ut & labores  
perferre, & aliorum mandata exsequi possunt.

VII. Ast quoniam hæc servitus mera Philosophica est,  
utpote quæ non concernit potestatem Dominis in servos con-  
cessam, earumq; Dominium; sed magis respicit ad honorem,  
obsequium, & reverentiam senioribus à Junioribus, generosis  
ab ignobilibus, parentibus à filiis, marito ab uxore debitam;  
vel ad utilitatem serviëntis, qualis est illa, quæ imprudentis ad  
prudentem, minus sapientis ad sapientem dicitur. Ideoq; hæc  
tanquam Philosophicâ omisâ ad aliam servitutem Jure Ci-  
vili, legibusq; probatam & in ductam, magisq; propositum no-  
strum tangentem, transgressum faciemus.

VIII. Eam cum Imp. ex §. *Servitus 2. Inst. d. Jur. Pers.*  
& l. *libertas 4. §. Servitus 1. ff. de stat. hom.* definimus, quod sit  
constitu-



constitutio Juris gentium, quâ quis Domino alieno contra naturam subiicitur.

I X. Dicitur *constitutio* non quod sit præceptum seu aliqua Juris gentium definitio, ut alias usitatè verbum constitutionis, ut in *l. quod principi placuit. 1. §. 1. ff. d. const. Princip. l. si servium 91. §. nunc videamus 4. ff. d. V. O. usurpari solet*: sed effectum ex ipsa constitutione tanquam causa efficiente profluens, & idem est, ac si dixisset Imp: Servitus est constitutum quoddam Juris Gentium, & reverâ Jure Gentium inducta *l. manumissionis 4. ff. d. Iust. & Iur. Nec monente Donello lib. 2. Comm. Iur. Civ. c. 9. verbi significatio repugnat, cum verbalia in Jo non actionem tantum aut rem facientem significent, sed interdum & rem factam. Sic dicitur Thesaurus vetus pecuniæ depositio, pro pecunia jam olim depositâ l. nunquam 31. §. 1. ff. d. acquir. rer. dom. Sic Fidejussio dicitur principalis obligationis accessio, pro eâ obligatione, quæ jam accessit §. Fidejussores 5. Inst. d. Fidejussor.*

X. Inseruntur ulterius verba: *contra naturam subiicitur*. Jure enim naturali ab initio omnes homines liberi nascebantur §. *sed jus quidem civile 2. vers. Ius autem Gentium Inst. de jur. Nat. Gent. & Civ. l. manumissiones 4. ff. de Iust. & Iur. l. quod attinet 32. ff. d. R. I. & cum Hominis gratiâ sine ulla status distinctione omnia ab initio creata sint l. In pecudum 28. ff. d. usur. §. In pecud. 37. Inst. de Rer. divis. ejusquè pedibus cuncta Deus subiecerit Psal. 8. vers. 8. Hic cum jam servire incipit, propriæ naturæ statum & dignitatem exuens, in pecudum conditionem transit; c. sexto die 35. distinct. & propterea etiam passim servitus mortalitati comparatur l. servitutem 209. ff. d. R. I.*

XI. Non tamen videtur exinde negandum, servitutum Juris gentium esse constitutum. Nam licet Jus Gentium id sit, quod naturalis ratio omnes homines docuit *l. omnes 9. ff. d. Iust. & Iur. §. Ius autem civile 1. vers. quod verò Inst. d. I. N. G. & C. in jure naturali autem rationem naturalem spectandam esse,*  
nemo



nemo est qui dubitat: tamen cum *Anton. Fabro in Ration. ad l. manumissionis 4. ff. d. Iust. & Iur.* dicendum videretur, aliud esse contra naturam esse, & aliud rationem naturalem habere, nam licet servitus contra naturam sit, ut superiori thesi fuit demonstratum, ratione tamen naturali non caret. Supposita enim hominum malitiâ, quæ cognationem illam à natura inter homines constitutam violavit, ratio naturalis, quæ bellorum necessitatem induxit, eadem etiam induxit captivitates & servitutes, ne occidi necesse esset eum, qui alioqui & hostis & liber à victore tuto habere nequit.

XII. Unde etiam Imper. in §. *servi. 3. Inst. d. Iur. Pers. & d. l. libertates 4. §. 2. ff. d. stat. hom. & l. pupillus 239. §. servorum 1. ff. d. V. S. servos ex eo appellatos esse asserit; quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare nec occidere soleant. Exinde D. August. lib. 9. d. *Civitate Dei* inquit: Origo vocabuli servorum in lingua latina inde d. cta creditur, quod qui jure belli possunt occidi, à victoribus conservabantur. Cum enim solerent veteres olim in captivos crudelissimè sævire, eos enecantes, procedente tempore duces belli clementiores facti, captivos servari vendique, non occidi jusserunt. *Corras. ad l. libertas 4. §. servi 2. ff. d. stat. hom. n. 1.**

XIII. Vendebantur autem olim captivi coronati, erate quæ corona, signum captivorum venalium, ut ex *Catone Gellius lib. 7. noct. Attic. c. 4.* refert, verba autem Catonis sunt: Ut populus sua opera potius ob rem benè gestam, Coronatis supplicatum eat, quam re malè gestâ Coronatus veneat. Quem admodum Corona signum erat captivorum venalium: Ita Pileus impositus venali servo demonstrabat, talem vendi servum, cujus nomine venditor Emptori nihil præstare volebat, sed omnia suo periculo comparabat Emptor. *Corras. d. l. n. 5. Harpr. ad §. servi autem 4. Inst. d. Iure Person. n. 5.*

XIV. Constituitur autem servitus hæc vel Jure Gentium vel Jure Civili. *& servorum §. 5. 1. ff. d. statu hom. §. servi autem 4. Inst. d. jure Person.*

XV. Jure



XV. Jure Gentium constituitur hæc servitus duplici-  
ter. Captivitate, & Origine. Captivitate, cum quis in bello ab  
hostibus capitur, hic enim captus Jure belli fit servus capien-  
tis *s. sed jus quidem civile 2. vers. Jus autem Gentium. Inst. d.*  
*I. N. G. & C. s. servi a. 4. Inst. d. Iur. Pers. s. item ea que ex ho-*  
*stibus 17. Inst. d. R. D. l. adeo 7. in pr. ff. d. acquir. Rerum Dom.*  
Origine, utpote quod natum ex ancilla nostra serva nobis  
subiicitur *d. s. servi autem Inst. de Iur. Pers. l. partum 7. C. d. R.*  
V. In hoc enim sequuntur Regulam eandem quam in ceteris ani-  
malibus Dominio nostro subjectis proposuerunt I.C., ut ergo  
quæ ex animalibus nostris nascuntur, Jure Gentium nostra  
sunt *l. Item que 6. ff. d. A. R. D. ita & cujus ancilla est, ejusdem &*  
partum Jure Gentium esse oportet *d. l. partum 7. C. d. R. V.*

XVI. Jure civili autem quis servus efficitur, cum quis  
ad participandum pretium se venundari passus est *d. s. servi a. 4.*  
*Iust. de Iure Pers.*

XVII. Hæc autem venditio ut robur obtineat *Accurs.*  
*in d. s. & Donell. libr. 2. Comm. c. 9. & Harpr. d. s. servi a. 4.* quin-  
què requisita ponunt &

1. Requiritur Justam ætatem, ut videlicet 20. annos  
compleverit *d. s. 4. l. liberis 7. ff. d. lib. caus.* absurdum namquæ  
foret, ut quis ultrò libertatem suam amittere posset ea ætate,  
quæ aliis libertatem conferre non potest *l. si ministerium 16. C. d.*  
*lib. caus.*

2. Consensum vendendi; Quodq; eo animo se vendi pa-  
tatur, ut participet pretium *l. non ideo 5. C. d. liber. caus.*

3. Veram pretii participationem: pretii enim parte non  
accepta, poterit rescissa venditione ad libertatem proclamare  
*l. 1. ff. quibus ad libert. proclam. non lic.*

4. Notitiam conditionis; Cum ignorans non potest  
se aliquo modo vendere nec libertatem suam in alium transfe-  
re *l. Licinius 4. ff. quib. ad libert. proclam. non licet.*

5. Et deniquè ut emptor ignoret conditionem hominis  
venditi, eumque vere servum esse credat. Bona enim Empto-  
ris fides hanc venditionem sustinet, quæ alioqui nulla esse so-  
let liberi hominis *l. liberi 70. ff. d. contr. Empt.*

B

XIIX. Eo-



XIIX. Eodem modo jure civili efficiuntur servi; cum libertus ob ingratitude[m] adversus patronum commissam in servitute[m] revocatur §. 1. vers. libertis Inst. d. cap. diminut. l. alimmenta 6. §. 1. ff. d. agnos. & alend. lib. l. si manumissus 2. C. d. Libert. & eorum lib. l. libertine 4. eod. N. 5. c. 2. vel ob assertionem principis l. lites 1. §. pen. C. d. assert. tollend. Item ob silentium; Ut cum miles olim citatus non respondebat, fiebat servus l. qui cum uno 4. §. gravius. ff. de re militar. Plures & alias causas, ob quas quis jure civili servus efficiatur recenset Mercet. lib. 1. opinion. cap. 4. has qui videre cupit eum adire poterit.

XIX. Et licet servorum, quoad substantiam servitutis & Juris dominici, eadem sit conditio; §. in servorum 5. Inst. d. Iur. Person. & l. Et servorum 5. ff. d. statu hom. officia tamen horum sunt varia & diversa; nam alii dicuntur Novitii l. precipiunt 37. l. fin. ff. d. edil. edict. alii Ordinarii, alii vicarii l. si servus 17. ff. d. pecul. quidam verò Actores l. ult. ff. d. off. Praesid. Medialtini, Topiarii, Atrienses, Calones, Lixæ, Fabri, Opiliones & similes; de quibus videri potest Corras. lib. 5. Miscell. c. 21.

XX Hinc dubitari potest; An etiam Adscriptitii sint servi? Et licet id neget Harpr. ad pr. tit. Institut. d. Iur. Person. Henon. disput. 1. §. 20. Hackelm. disput. 1. §. 20. tamen cum Donello libr. 2. comment. cap. 9. in fin. ibique notante Hilligero lit. V. & Hunnio lib. 1. variar. resolut. Iur. Civ. tractat. 2. quest. 5. verius videtur, servis hosce adscriptitios esse annumerandos propter l. ne diutius 21. l. cum satis in humanum 23. & ult. C. d. Agricol. cens. & colon. ubi in l. allegat. 21. expresse dicitur nullam sanè esse differentiam, quoad Effectum dominii, qui tamen maximè hîc spectatur, videlicet potestatem inter servos & adscriptitios, cum uterq; sit sub potestate domini, & etiam d. l. pen. dominum adscriptitii nominat, si dominus, utpote unum correlatum, necesse est, ut respondeat & alterum correlatum videlicet servus. Et deinde l. ult. dicit, partum sequi maculam matris adscriptitiæ: vox macula hic sanè servi-



servitutem non libertatem denotare potest, utpote quæ non macula, sed res inæstimabilis in jure dicitur *l. libertas 106. ff. d. R. I. l. non est singulis 176. §. 1. ff. eod.* & quæ pecunia nec lvi nec reparari potest. *l. statu liberum 9. §. 2. in fin. ff. de statu lib.* non remorante *Conano lib 2. Comm. Iur. Civ. cap. 10. num. 5.* qui ascriptios tertium & medium genus inter servos & liberos constituit; quo minus enim huic calculum nostrum addere possumus impediunt textus allegati, impedit *pr. tit. Inst. de jur. pers.* impedit *l. summa 3. ff. d. statu hom.* ubi dicit Imp. summam divisionem esse, quod hominum quidam sunt liberi, quidam sunt servi.

XXI. Effectus porrò hujus jam constitutæ servitutis quoad dominum est, ut quis domino subiiciatur alieno *d. §. servitus 2. Instit. d. Iur. Pers. d. l. libertas 4. ff. d. statu hom.* Ista subjectio jam duplicem habet respectum, vel ad ipsum servi corpus ejusquæ vitam, vel ad ejus bona.

XXII. Quoad corpus & vitam servus domino alieno subiicitur, ita, ut servus vitam non videtur habere propriam, sed Jure servitutis in domini potestate est, nec ea servi dici potest, nisi quatenus dominus servum vivere patiatur, hinc dominis in servos vitæ & necis potestas Jure Gentium fuit concessa *l. de Iure Personarum 1. §. 1. ff. d. his qui sunt sui vel alieni Iur. §. in potestate 1. Inst. eod.*

XXIII. Circa servi corpus domino itidem talis est concessa potestas, ut is servum pulsare, verberare, vincire & quovis modo coercere possit, dum à cæde aut lethali vulnere absteineat *l. un. C. d. emend. servor.* Nec ulla eius læsionis nomine servo actio nasci potest, quam injuriarum, sed nec hæc, nec ulla alia inter dominum & servum nascitur *s. Hi qui 12. Inst. d. oblig. quæ ex delict.*

XXIV. Verùm cum monente Imp. *in s. sed hoc tempore 2. Instit. d. his qui sunt sui vel alieni. Iur.* Reip: interfit, ne quis re suâ malè utatur, ideoq; ex constitutione Divi Antonini hæc duo dominicæ potestatis capita quodammodo coarctata sunt,

B 2 ut



ut hodierno domino non sit permiffum, fervum fuum occide-  
dere fine caufa, qui contra fecerit non minus tenetur, ac fi fer-  
vum alienum occidiffet *s. fed hoc 2. Inft. d. His qui funt fui vel alie-  
ni Iur. d. l. 1. s. 1. ff. eod.*

XXV. Sic limitatum etiam eft fecundum hujus domi-  
nicæ potestatis caput, ut hodiè etiam non permiffum fit domi-  
nis in fervos fuos fupra modum fævire, fed D. Antoninus con-  
ftituit, ut fi fævicia dominorū in fervos videatur intolerabilis,  
cogantur fervos fuos bonis conditionibus vendere, ut pretium  
dominis detur *l. fi dominus 2. ff. d. his qui funt fui, vel alieni Iur. d. s.  
fed hoc 2. Inft. d. tit.*

XXVI. Quo ad bona etiam potestati dominicæ servi-  
ita funt fubjecti, ut quicquid ex traditione nancifcantur, vel  
ex legato, vel donatione, vel alia qualibet caufa, id dominis  
ignorantibus & invitis acquirunt *s. Item vobis 3. Inftitut. per  
quas personas cui quid acquir. s. 1. Inft. d. His qui funt fui vel alien.  
Iur. l. acquiritur 10. s. 1. l. etiam invitis 32. ff. d. acquir. Rer. Dom.  
l. quemadmodum 46. ff. d. Iur. Dot. l. fervus 62. ff. d. V. O. l. nun-  
quam 31. s. si fervus 3. ff. d. ufucap.* Hæcquè acqifitio non et-  
iam caret ratione: Dominium enim quod juris eft non ca-  
dit in fervum *l. quod attinet 32. ff. d. R. I.* adeo ut ne momen-  
to quidem in eius persona fubfiftat *l. placet 79. ff. d. acquir.  
vel amittend. hered.* Rem igitur quam acquirunt, necesse eft,  
ftatim domino, cujus nomine contrahere videntur, acquiri,  
aut contractum, fi ratum dominus non velit habere, nullius  
effe momenti. Huic accedit & illud, quod qui ab alio poffide-  
tur, ipfe nihil habere vel poffidere poffit *d. s. Item vobis 3. verf.  
ipfe enim fervus Inft. per quas person. cui quid: acquir. l. fic eve-  
niet 21. ff. ad L. Iul. de adult. l. acquiritur 10. s. 1. ff. d. R. D.*  
Is enim qui fui non compos eft, multò minus bona habere de-  
bet.

XXVII. Quo ad ipfum fervum autem id efficit con-  
ftituta fervitus, ut, quod ad Jus civile attinet, pro nullis habeantur  
*l. quod attinet 32. ff. de R. I.* Exinde muneribus publicis non  
funguntur *l. generali 3. C. d. tabular. lib. 10.* nec adhiberi poffunt  
ad



ad solennia *l. qui Testamento 20. §. servus quoq; 7. ff. qui testam. fa-  
cere possunt, nec in Judicio in universon consistere possunt l. ser-  
vus 6. C. d. Iudiciis.*

XXIIX. Existimatio etiam servi, quæ quidem ad de-  
fensionem Juris pertinet, omninò nulla est. Idq; ex eo clare-  
scit, quod quibuscunq; convitiis & contumeliis affectus sit  
servus, dum contumelia ad dominum non respiciat, eo nomi-  
ne servo nulla est actio *§. servus 3. Inst. d. injur. Donellus lib. 2. Comm.  
cap. 9.*

XXIX. Servitute sic jam constitutâ, operæ pretium esse  
videtur, brevibus ut etiam videamus, quibus modis iterum  
dissolvatur ista servitus: Dissolvitur autem ista servitus manu-  
missione, quam Imper. *in pr. tit. Inst. d. Libert.* dicit esse de ma-  
nu dationem: nam quandiu aliquis in servitute est, manui  
& potestati suppositus est, & manumissus liberatur à domini  
potestate *l. manumisiones 4. ff. d. Instit. & Iure.* Hæc q; fit, vel  
dominis consentientib. vel iisdem invitis.

XXX. Manumissiones consentientibus dominis quæ  
fiunt, justæ sunt; cum Testamento aut Codicillis libertas da-  
tur *§. multis autem 1. inst. de libert.* Lege enim 12. Tab. constitu-  
tum erat, uti quis legasset suæ rei, ita Jus esto, quibus etiam li-  
bertatem comprehendit, docet *l. verbis 120. ff. d. V. 5*

XXXI. Aut quando inter vivos publicè quis manu-  
mittitur apud Magistratum, ut Romæ apud Prætorem vel  
Consulem, in provinciis apud Præsidem *§. servi 2. Inst. d. Libert.*  
unde videtur esse manumissio, quæ dicebatur fieri vindicta *Ul-  
pian. in fragm. tit. 1. d. libert. de qua tt. ff. & C. de manumis. vind.*  
Idem est si quis manumittitur in Eccles. *§. multis 1. Instit. d.  
Libert.*

XXXII. Aut quæ privatim fiunt, ut cum domini servos  
suos manumittunt inter amicos, aut per Epistolam; *d. §. multis  
1. Inst. d. Libert.* Inter amicos dominus suam voluntatem decla-  
rat coram quinq; testibus, & si per Epistolam, Epistola per Do-  
minum vel tabularium quinq; testibus adhibitis scribi debet,  
& à testibus subscribi, ut in utroq; casu quasi ex imitatione



Codicillorum seruo libertas competat *l. un. §. sancimus 1. cum duobus §. seqq. C. d. Lat. Libert. toll.*

XXXIII. Facto etiam quandoq; alicui libertas donatur; Ut si quis homini libero ancillam suam in matrimonium collocaverit & pro ea dotem solverit, si apud acta dominus servum filium appellaverit, si instrumenta, quibus servitutis constitutio continebatur, seruo dederit, non minus quam quinque testibus presentibus *d. l. un. §. fin. C. d. Latin. Libert. toll. §. fin. Inst. d. ad opt.* Item si servi Pileati aut funus antecederent, aut in ipso lectulo stantes cadaver ventilarent, idq; facerent voluntate Testatoris vel hæredis *d. l. un. §. sed & qui domini §. C. d. Latin. Libert. toll.* His & similibus modis facto quis declarabatur liber de quibus videri potest *Donell. lib. 2. Comm. c. 15. in fin.*

XXXIV. Invitis dominis quisquam liber fit 1. Beneficii & præmi loco, ut cum quis mortem domini vindicaverit *l. si necem 4. D. d. bon. Libert. l. qui ob necem §. ff. qui sine manu. ad lib. perveniunt* vel cum quis falsæ monetæ reos, vel raptorem vel desertorem militem in publicum detulerit *tt. C. pro quib. causis serv. pro præm. lib. accip.*

XXXV. Huic libertatis adipiscendæ modo adhæret & ille, quo Imp. Iust. in N. 5. c. 2. §. 1. seruo, qui juxta Regulam ab Imp. *d. l. præscriptam*, per triennium tonsoriâ & laica veste usus fuerit, & in monasterio permanserit divina addiscens eloquia, & sic triennio absoluto, sese optimum & reliquis monachis ac Præsuli tollerabilem ostendens, vestem monachicam promeritus fuerit, libertatem condonat. Nam inquit Imp. si multis casibus etiam ex lege hoc fit, & talis quædam libertas datur, quomodo non prævalebit divina gratia talibus eos absolvere maculis?

XXXVI. Conventione etiam domini prioris servi datur libertas, domino posteriori etiam invito, si quis venditus, donatus, aliove modo alienatus fuerit eâ lege, ut ab eo qui accipit, manumitteretur, & ita alienatus liber sit *l. si servus 1. D. qui sine manu. ad libert. pervenit tt. C. si mancip. ita fuer. alien.* Et si certum tempus fuerit adiectum, intra quod liber fieri debeat, id obser-



observandum erit, sin minus, tunc si ambo tam Emptor quam servus præsto sint, inter duos menses, si servus absens fuerit, intra quatuor menses liber fit *l. Latinus largus 9. & ult. D. Qui sone mau. ad libert. perv.*

XXXVII. Domino etiam invito quisq; liber fit, cum servus fuerit nummis suis emprus, quod quid sit constat *ex l. is qui 4. D. de manumiss.* hoc enim casu servus adversus dominum, consiliter & petere potest, ut ab eo manumittatur *l. vix certis 53. ff. d. Iud.*

XXXVIII. Huic personarum servituti valdè cognatæ sunt & personales quædam obligationes, ut cum quis jubetur monumento testantis adesse, & ibidem statuto tempore lucernam accendere, & solennia mortis peragere *l. Maria 44. ff. d. manumiss. testam.* vel in certâ aliquâ civitate domicilium habere *l. Titio centum 71. §. 2. ff. d. cond. & dom.* vel custodiam curamve templi suscipere *l. servos 17. ff. d. alim. vel cib. legab.* Et licet quidam hæc obligationes inter servitutes numerent, tamen cum *Donello lib. 9. com. c. ult. ibiq; Hillig. in fin. Et Corras. ad Rub. tit. ff. de servit. n. 24.* verius videtur, non servitutes, sed quasdam obligationes personales esse, cum ex hæc præstatione nemini libertas auferatur, ut esset personarum servitus, nec rei, ut esset Realis, nec personæ res servit, ut esset personalis servitus.

XXXIX. Enodata sic servitute, quam dicunt personarum, sequitur jam alia servitutis species quam cum *Harp. ad pr. Inst. d. serv.* sic definimus, quod hæc servitus in genere dicta sit: Jus quoddam, quo vel prædium, vel res alterius alienæ vel rei, vel personæ, præter naturam servit, eiq; utilitatem affert. *l. quotiens 15. in pr. ff. d. servit. l. ergo 5. in fin. ff. d. serv. præd. rusticor.*

XL. Generis loco cum *Harp. d. l.* posuimus vocabulum *Ius arg. l. 1. ff. d. usufr. l. urbanorum 2. ff. d. S. P. Vl. 1. ff. d. S. P. R.* ubi omnes servitutes per voculam Jura & Jus definitas legimus. Propriè tamen loquendo. Servitus quæ servitus, est Juris imminutio. *l. de pupillo 5. s. Et belle 9. ff. d. nov. oper. nunciat:* Dicitur autem Jus ab effectu, quia illi, cui debetur Jus est, illi, qui debet servitus.

XLI. Si tamen propriè loqui velimus, servitus est conditio



ditio Rei l. via 23. §. 2. ff. d. S. P. R. & qualitas l. traditio 20. §. 1. ff. d. acquir. Res. Dom. unde etiam quibusdam in locis dicitur, servitutes esse prædia, qualiter se habentia, verum monente Hillig. in Donello enucleato lib. 9. cap. 21. lit. D. id non propriè; (quia differunt, ut substantia & accidens, subjectum & quod illi inhæret) sed figuratè; id est, habitus, quo qualiter se vel certo modo habent prædia l. qui fundum 12. ff. quemadm. servit. amitt. per Enallagen rei, pro qualitate rei ut in l. Iurijurandi 2. C. d. reb. cred. contempta Religio, pro contemptu Religionis l. certo genere 13. ff. d. servit. Præd. Rust. certum genus agrorum pro agris certi generis Capolla d. Serv. Urb. Præd. numer. 4.

XLII. Sequitur ulterius rei alienæ. Res enim sua nemini servit l. in re 26. ff. d. S. V. P. l. uti frui 5. ff. si usufr. pet. l. fundus 32. in fin. ff. d. S. P. R. Et licet servus qui Domini proprius est Domino suo serviat, id tamen monente Koppio in lib. 1. obs. 76. fit non jure servitutis, sed jure domini, quod ex servitute profluxit, quæ ratione & omnes res nostræ nobis serviunt.

XLIII. Contra naturam etiam hanc servitutum esse clarum est. Nam monente Corras. ad Rubr. ff. d. servit. n. 11. & l. jus cloacæ 7. ff. d. servi n. 9. prædia etiam ab initio omnia libera fuere l. altius 8. & l. si tibi 10. C. d. servit. Postea autem distinctis rerum dominiis cum necessitas exigebat, ut quandoq; fundus fundo serviret, & fundus quandoq; personæ, hæc servitutes constitutæ sunt.

XLIV. Ultima definitionis verba sic habent; etq; utilitatem affert, Hinc in dubium vocatur, an etiam possit constitui servitus realis, quæ vicini utilitatem non respiciat? Verum nullam servitutum realem constitui posse, quæ non respiciat prædij utilitatem cum Fabro in Rational. ad l. Quoties 15. d. l. ei qui 19. ff. d. servit. Donello lib. 9. comm. cap. 21. ibiq; Hillig. lit. N. & Harpr. ad præd. l. d. serv. n. 8. videtur esse affirmandū; Tum quia & ipsum servitutis nomē, id indigitare videtur, cū servitus id propriè dicatur, quod alii, cui servit cōmodat, ut ex illo Ciceroni apparet: Servitorem mihi & consulere meis; Cum quia textuum huc spectantium



tium verba sint sat expressa, ut in *l. quotiens 15. ff. d. servit. & l. ve-*  
*luti 6. l. ex meo 24. ff. d. S. R. P.* ubi expressè dicitur, servitutum  
esse nullius momenti quæ non respiciat utilitatem vicino-  
rum.

XLV. Definitionem jam sequitur divisio, quâ hanc ser-  
vitutem in duas dispescimus species, unamq; dicimus servitu-  
tem personarum *l. servitutes 1. ff. d. servit.* (licet quandoq; etiam  
personalis dicatur *l. non solum 8. §. tale legatum 3. ff. d. lib. leg. l.*  
*Lucius 37. ff. d. S. P. R.* item servitus in personam. Item hominum  
servitus *l. Cajus 12. ff. d. ann. legat. l. quotiens 15. ff. de servit. l. simili*  
*20. §. fin. ff. d. S. P. R.*) Alteram verò Rerum, quam vulgò etiam  
servitutum in Rem, item Realem *d. l. Cajus 12. item prædiorum*  
sive prædialem appellant *d. l. quotiens 15. & t. R. tt. ff. d. S. V.*  
*& R. P.*

XLVI. Et licet *Capolla in tract. de Servit. Urb. Pr. c. 3. &*  
*Lagus in Meth. Jur. Civ. p. 2. c. 63. n. 3.* cum *Iasone in §. Æg. si quis agat*  
*2. In d. Act. n. 2, 11 & 19.* servitutum istam, quam nos persona-  
lem diximus mixtam appellent & tertiam servitutum speci-  
em videlicet mixtam constituent: Cum *Koppio tamen lib. 1. obs.*  
*26. Donell. lib. 9. comm. c. 22. ibiq; Hilligero lit. D.* verius videtur in  
Jure tantum duas species servitutus fundatas esse, nec mixtam  
reperiri, cum in *d. l. 1. ff. d. servit.* nullarum aliarum servitutum  
mentio fiat, quam Personalium & Realium, & de mixtis ne ver-  
bulum quidem habeatur, cum tamen Imp. intentio fuit inte-  
gram ibidem servitutum divisionem proponere. Nec etiam  
mixti appellatio competit istis servitutibus ubi res personæ ser-  
vit, sive in iis conjunctim res duas, ex quibus consistunt, sive  
per se singulas spectemus. Ambas enim respicere non possu-  
mus, cum ista ratione etiam servitus, quod & Autores in con-  
trarium allegati una cum nobis statuunt, Realis, mixta appel-  
laretur, quod nec ipsi concedunt. Nec si singulas spectemus,  
mixtæ dici possunt hæ servitutes: cum istius intuitu mixta  
dici oporteret, aut in qua mixtim res & persona servitutum de-  
beret, aut in qua mixtim hisce deberetur, quod etiam ne con-  
tradicientes quidem admittunt.

C

Perso-



XLVII. Personalis proinde servitus est: Jus à re aliena personæ debitum *l. 1. in pr. ff. d. Vusufructu l. sicut 3. ff. quib. modis Vusufruct. amitt.*

XLVIII. Dicitur autem personalis ad exemplum realium, (de quib. infr.) quæ dicuntur Reales à reb. & quibus inhaerent, & sine quibus esse nequeunt, *§. ideo autem 3. Inst. d. Serv. l. ergo 1. § 1. ff. d. S.P.R. l. 1. § 1. ff. comm. præd.* ita etiam hæc personalis dicitur à personis, quibus constituitur & sine quibus neutquam consistere potest: *l. Vusufructus 26. ff. d. stipul. serv. & quia etiam cum persona cui debetur extinguatur, merito personalem dicimus.*

XLIX. Hujus porrò servitutis personalis duas cum *Köpio lib. 1. Obs. 81. n. 3. & Hunn. in Resol. Jur. Civ. lib. 2. tr. 2. q. 17.* tantum statuimus species, Vusufructum nempe & Usus: Cum harum duarum tantum nec plurium *in d. l. 1. ff. d. servit.* fit mentio, & certe si plures agnovissent hujus servitutis species, non omittenda fuissent eo in loco, ubi perfectam rerum divisionem proponere animus fuit; & quod magis hoc nostrum confirmat, in *Inst. etiam, ubi species servitutis personalis duobus in tit. Imp. recenset, nullam aliam præter hæc duas enumerat. Et licet Habitationis mentionem faciat, in §. sed si 5. & §. seq. Inst. d. Usu & habit.* non tamen exinde videtur concludendum, hanc hæc speciebus esse annumerandam, cum quia de hæc ibidem tractatur, nõ quod sit servitutis species, sed quod magnam cum iisdem habeat cognationem. Hanc enim, ut operas servorum non esse servitutis species *inf. demonstrabimus.*

L. Imperatorem jam sequentes de Vusufructu, utpote digniori, prius videbimus, quem definimus, quod sit: Jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ rerum substantiâ *l. 1. ff. d. Vusufruct. pr. t. Inst. eod.*

LI. Per vocabulum *Ius* autem cum *Donello lib. 10. comm. 6. 2. & Harp. ad pr. tit. Inst. d. Vusufr.* intelligimus non servitutem, nec jus per servitutem quæsitum, sed potestatem seu facultatem quandam, jure tributam, ut & alias vocabulum *Juris* passim sumitur *pr. t. Inst. d. stip. serv. l. bona 3. §. bonorum 2. ff. d. bon. posses.*

LII. Di-



LII. Dicitur autem *Ius esse in rebus alienis*: Hic etenim cum definiatur *Usufructus*, qui absolutè ita dicitur, *hoc est*, qui solus per se consistit, ac servitus est *l. 1. ff. d. servit.* meritò adjecta sunt verba *in rebus alienis*. Res enim sua cuiquam servire, ut *th. 43* fuit ostensum, nunquam dici potest *l. uti fruis. ff. si usufr. pet. l. in re communi 26. ff. d. S. P. V.*

LIII. Hujus rei occasione dubium occurrit sanè non exiguum, an videlicet *Usufructus* sit pars *Dominii*? Verum distinctione *Donelli lib. 10. Comm. cap. 2. ferme in fin.* præsuppositâ, *Usufructum* partem *Dominii* esse negamus. Aut enim *usufructus* consideratur, prout à proprietate est sejunctus, & uti à nobis in *th. 50.* definitus fuit & tunc partem *Dominii* non esse constat sat expressè: cum si *Usufructus* pars *Dominii* esset, certè esset in re nostra, *Dominium* namq; omne in re nostra est, ac proinde ac pars ejus, quoniam in toto & pars continetur *l. in toto 113. ff. d. R. I.* Idem constat ex *l. certè 25. ff. d. V. S.* ubi nunquam diceretur fundum alterius esse totum, si *usufructus* esset detractus, quomodo enim posset res nostra dici tota, si pars *Dominii* abesset; Aut consideratur, prout est proprietati conjunctus & abusivè *usufructus* dicitur, & tunc *Dominii* pars est. Hic enim *usufructus* cum emolumentum rei contineat merito *Dominio* accensemus *l. Mævius 66 § pen. l. cum filius 76. § Dominus 2. ff. d. Leg. 2.*

LIV. Verum cum vox *Uti* significet, percipere ea tantum quæ ad sublevandam suam familiæque suæ necessitatem satis sint, *l. 2. & seqq. l. plenum 12. §. 1. ff. d. Usu: & Habit: Usufructus* autem non tantum necessitatem, sed etiam commodum & utilitatem respiciat; Ideo adjectum fuit etiam vocabulum *Frui*, quod est omnes redditus, omnesq; proventus, non solum ad necessitatem, sed etiam ad emolumentum & compendium spectantes percipere. *l. Usufructu 7. ff. d. Usufr.*

LV. Ut autem sciamus non licitum esse *Usufructuario*, prohibitu suo *Re* in *Usufructum* concessâ uti & frui, ideo adjecta sunt verba *salvâ rerum substantiâ*; ut sciat se uti debere arbitrio boni viri & diligentis *Patrisfamilias* *l. si cujus 13. in pr. & §. fructua-*



fructuarius 4. & §. sed si adium 7. l. sed si quid 15. §. & si vestimentorum  
4. cum §. seq. ff. d. Vsufr. l. 1. ff. Vsufruct. quemad. can. Deinde etiam  
& sup. dictis verbis ostendere voluit Imp. tandiu Usufructum  
perdurare, quandiu res illæ, quarum est Usufructus, saluæ  
permanerint, rebus enim extinctis, vel corpore sublato & ipsa  
tollitur servitus pr. t. Inst. de Vsufr. l. est enim 2. ff. eod.

LVI. Et licet quidam Usufructum jam definitum di-  
vidant in Causalem & Formalem, & Causalem appellent, qui  
eum proprietate est conjunctus, & Formalem, qui nudus & à  
proprietate separatus in reb. alienis consistit. Verum rei veri-  
tate penitus inspectâ, hanc divisionem non posse subsiste-  
re (quamvis monente Hilligero in Donello enucleatolib: 10. c. 2. lit. D.  
melioris doctrinæ gratia retineri possit) cum Harprecht ad pr. Inst.  
de Vsufr. n. 22. Duareno ad l. 126. ff. d. V. O. in pr. & Forst. disp. 8. §. 2.  
videtur asserendum. Cum duæ species semper debeant poni  
sub eodem genere proximo, alias enim species dici nequeunt,  
nisi comprehendantur sub genere eodem, & positæ sub eodem  
genere semper participant de generis natura glos. in c. accusatus 8.  
§. cum vero, in verbo Iudicari de Heret. in 6. jam autem ex mente  
dissentientium Usufructus Causalis & Formalis, ut duæ distin-  
ctæ unius generis species, ponendæ sunt sub genere proximo  
Usufructu, qui est servitus, si hoc, certè Usufructus Causalis de  
generis naturâ nihil participabit, sed potius eam evertet, cum  
omnis servitus sit in re aliena, hic autem Usufructus in re pro-  
pria.

LVII. Rectius igitur Usufructum cum textib. Juris  
dividimus, in Proprium sive Verum, & Improprrium seu quasi  
Usufructum, §. constituitur 2. in fin. Inst. d. Vsufr. l. 2. §. 1. ff. d.  
Vsufr. Bocer. clas: 4. disp. 8. §. 4. Vult. lib. 1. Iuripr. Rom. cap. 63. n. 22.  
Arum. Exercit. 5. th. 17.

LIIIX. Porro cum cujusq; rei perfectio in ordine confi-  
stat & ordo sit modus Entium, Bl. in proæm. ff. & scire quid facias,  
& nescire quo ordine facias non est perfectæ cognitionis in-  
quit Ias. in l. Gallus §. idem credendum 2. col. in 2. lectur. ff. d. lib. &  
post: Ideoq; & nos horum admonitionem sequentes, definitio-  
ne Usufructus, ejusq; divisione explicata, operæ pretium esse  
cense-



ensemus, ejus etiam constitutionem, & dissolutionem secundum ordinem causarum brevibus in vestigare.

LIX. Causarum igitur prima est, Causa Efficiens, quam hic occurrere animadvertimus duplicem; Propinquam videlicet & Remotam. Usumfructus causa propinqua est, vel inter vivos, ut Contractus & Pacta; vel inter mortuos, ut Testamentum; vel extra hosce duos modos. Lex etiam Usumfructum constituit. Remota sunt Personæ constituentes.

LX. Circa causam remotam autem sciendum, omnes omnino posse constituere Usumfructum, qui alias vel ob legis prohibitionem, vel ætatis defectum, vel consensus absentiam, rem alienare non prohibentur cum enim horum quilibet sit rerum suarum moderator & arbiter *l. in re mandata 21. C. mandati* etiam quemlibet horum & servitutum constituere posse non est ambigendum *l. ult. C. d. reb. alien. non alien.*

LXI. Hinc dubium, An Emphyteuta possit absq; Domini consensu in fundo Emphyteutico Usumfructum constituere? Et constituere posse apparet exinde, quod hæc ratione Domino directo nihil detrahatur, cum is nihilominus rem Emphyteuticam salvam habeat, & quotannis pensionem constitutam accipiat, ipseque Emphyteuta suo tantum, non Domini Juri præjudicet. Cui accedit & illud, quod licet non habeat Dominium directum, Emphyteutæ Dominium tamē utile non denegatur & pro Domino habetur, *l. Possessores 12. C. d. fund. Patrim.* Exinde etiam huic actio in rem (quæ semper Dominium requirit § *omnium 1. Inst. d. act.*) conceditur *l. 1. fin. ff. si ag. vectig. pet.* Si ergo Dominium habeat, Usumfructum constituere etiam non prohibebitur.

LXII. Sed quid de superficiario? Verum cum huic etiam in rem actio detur, & hunc Usumfructum ut & servitutes jure Prætorio ad exemplum earum, quæ ipso Jure constitutæ sunt, constituere posse asserit *Ulp. in l. Ait Prætor. 1. §. quia 6. C. § ult. ff. D. superficieb.*

LXIII. Huic succedit & illa non minus dubia quæstio, an etiam Vasallus possit, fundo feudali Usumfructum, absque Domini consensu, imponere? Et licet conclusio negativa hæc



in quaestione communiter recepta sit, & ab hac monente Harp-  
recht: ad § *Vsufuctus* 1. *Inst. d. Vsufr. n. 8.* in iudicando vix ac ne vix  
quidem sit recedendum, tamen textibus Juris consideratis, af-  
firmativa videtur verior. Textus sat clarus est in *c. un. vers. Rei*  
*autem tit. 8. de investit: in re alien. fact. lib. 2. Feud.* ubi deciditur,  
quod si dolo, pretio, vel incuria servitutem rei beneficiariae  
imponi pariatur vasallus, id vasallo, donec feudum tenet, ob-  
esse debet. Domino autem nunquam, etiam si per longa tem-  
pora per severaverit servitus. Ratioq; hujus postea redditur in  
§ *contrario*, quod videlicet Vasallus Domini conditionem pos-  
sit reddere quidem meliorem non autem deteriorem. Sub  
servitutem autem appellatione comprehendi & usumfructum,  
dubium non est, cum & hic sit personalis servitus; cui accedit  
& illud, quod servitutis impositio & Ususfructus constitutio  
aequiparentur in materia alienationis prohibita *l. fin. C. d. reb.*  
*alien. non alienand.*

LXIV. Sed haeres, qui haereditatem vel res alias alteri  
restituere iussus est a Testatore, in rebus restitutioni obnoxiiis,  
pureq; relictis Usumfructum constituere non potest: harum-  
rerum enim in *l. fin. § sed quia 2. C. comm. d. legat.* cum omnis alie-  
natio est prohibita, Ususfructus constitutio minime erit con-  
cessa *l. fin. C. de reb. alien. non alien. c. non liceat 20. caus. 12. quest. 2.*  
secus autem est, si sub conditione adhuc incerta tale fidei com-  
missum fuerit relictum: hoc enim cum possit haeres fidei  
commissarius alienare *d. leg. fin. §. fin autem 3. C. comm. d. legat.*  
multo magis ergo & Usumfructum in hoc constituere poterit  
*argum. d. l. fin. C. d. reb. alien. non alien. praesertim cum debet*  
*ei cui plus licet, id quod minus est non licere l. non debet 21. ff. d.*  
*R. l.*

LXV. Causam propinquam servitutum constitutionis  
diximus esse pacta & contractus inter vivos, si modo sint ad  
rem transferendam habiles, ut venditio, permutatio, donatio,  
stipulatio &c. § *si quis 4. Inst. d. servit.* Inter mortuos autem  
Testamentum *d. § si quis 4. Inst. d. servit. § ususfructus 1. Inst. d.*  
*usufruct. l. omnium 3. l. Vsufuctus 6. ff. d. Vsufr. l. potest etiam 16. ff.*  
*comm: praed.*

66. Nulla



LXVI. Nulla adhibita distinctione an . Ususfructus sit verus, an quasi Ususfructus cum Imp. in §. Constituitur 1. Inst. d. Usufr. inquit Senatum ad exemplum veri Ususfructus introduxisse quasi Ususfructum. At verus ususfructus etiam inter vivos pactis & stipulationibus constituitur, quare non etiam quasi ususfructus? Cum nulla planè possit dari diversitatis ratio Arum: Exerc: 5. th. 17. lit. B.

LXVII. Unde quæritur, An fructibus legatis ususfructus legatus esse censeatur? Et ususfructum legatum esse verius videtur: per textum expressum in l. si quis ita 20. ff. d. Usufr. & l. per servum 14. §. Ususfructus 1. ff. d. Usu & habit. hanc enim Testatoris mentem fuisse docet Imp. in l. cum ita 41. ff. d. Usufruct. leg. Cum in effectu is, qui ususfructum fundi habet, nihil ex ea causa nisi ejusdem fundi fructus annuos percipiat Faber: in Rational. ad d. l. si quis ita 20. ff. d. usufr. Donell. lib. 10. Comm. cap. 5. Harpr. ad §. ususfructus 1. Inst. d. usufr. n. 3.

LXVIII. Ususfructu autem bonorum vel rerum omnium simpliciter & indefinitè legato, non continetur Ususfructus earum rerum, quas Testator tanquam mercator venales habet expostas, per textum expressum in l. suos autem servos 73. §. Eum qui 4. ff. d. legat. 3. ubi ostenditur: Testatorem, qui mancipia legavit, non comprehendisse hoc legato mancipia, quæ venalia habet: cum hæc suorum nomine haberi non debeant. Cui accedit l. pediculis. 32. §. Idem cum quæreretur 4. ff. d. aur. & arg. legat. ubi testator omne argentum legavit, nec tamen eo legato argentum venale continetur.

LXIX. Sed quid Juris? Quando Testator legat alicui Ususfructum rei suæ, adjectâ conditione ne Legatarius alienandi potestatem habeat: Et tunc non proprietatem, sed nudum Ususfructum relictum esse cum Henon: disp. 10. th. 28. Faber. lib. 5. Cont. c. 44. concludimus: quia non aliter à significatione verborum usitatâ sit recedendum, quam cum manifestum sit aliter sensisse testatorem l. non aliter 69. in princ. ff. d. legat. tert. tum quia prohibitio Testatoris ex abundanti fuit adjecta favore Hæredis, quem illo nimis gravare voluisse, non præsumitur l. si ita sit ascriptum decim. quart. in fin. l. cum



*cum servus 39. §. scio 6. ff. d. legat. 1. Et non necessaria verborum multiplicatio substantiam rei non mutat l. pradialis 32. §. Labeo 6. ff. d. aur. & arg. leg.*

LXX. Sed nec tunc videtur legata proprietas, cum Usus fructus fuerit legatus, simul alienandi potestate concessa, cum regulariter quidem Usufructuario non competat alienandi potestas, nec de natura Usufructus sit; non tamen substantiæ ejusdem repugnat; recteque asseritur, alienandi potestatem & Usum fructum se invicem compati: adeoq; testatorem, qui Usum fructum legavit, per concessionem alienationis subsequenter non destruxisse legatum *arg. l. Lucius 2. l. Publica 26. §. 1. & l. si Sacculum 29. ff. depositi, ubi pactum, quod deposito adjectum est, non tollit substantiam depositi, licet notissimos ejusdem transgrediatur terminos Harpr: ad §. Tum a. 21. Inst. d. Legat. n. 43.*

LXXI. Hoc tamen etiam hoc loco non prætereundum censemus; Quod si Testator alicui legaverit fundum ad Usum & Usum fructum, vel ad utendum, fruendum tunc non Usum fructum solum, sed ipsam proprietatem relictam esse cum *Schrad. in tr. d. feud. par: 6. c. 6. n. 117. & Cæpolla in tr. de Servit. lib: Præd. n. 4. statuimus, arg. l. fin ff. d. Usufr: ear: rer: quæ usu. consum: & l. species 15. ff. d. aur: & arg: leg. unde constat; quod quando alicui legatur res ad utendum fruendum, legatum istud proprietatis, quod per verbum fundum vel rem lego (hæc enim proprietatem non usum vel Usum fructum denotant l. Questio est n. ff. d. V.S.) indicatur, per ejusmodi adjectionem non restringi, sed plenam proprietatem deberi; Cui accedit textus in l. libertis 4. ff. ad alim. vel cib: legat: ubi etiam Prædium legatum fuerit cum modo, ut exinde alimenta & vestimenta habere possint, & nihilominus Modestinus respondet proprietatem deberi, cum hæc verba tantum demonstrationis, non autem taxationis causa adjecta censeantur l. donationes 32. §. species 1. & ibi Bl. ff. d. donat.*

LXXII. Causæ efficienti propinquæ annumeravimus Legem. Lex enim est, quæ Usum fructum Patri in bonis filii adventitiis constituit; quicquid enim filius aliunde, quam ex castrensi vel quasi castrensi peculio acquirit, illius proprietatem qui-



quidem ipse retinet, Ususfructus verò ad Patrem transit *l. cum oportet 6. C. d. bon. quæ lib. § 1. Inst. per quas person. cui quid acquir. l. 1. & l. quicquid 2. C. d. bonis matern.*

LXXIII. Hoc autem generale subjacet suis limitationibus; Et Pater Ususfructum in bonis filii adventitiis non habet, cum pater supradictum Ususfructum filio remiserit, tunc plena proprietas apud filium constituitur. *l. cum oportet 6, §. non autem 2. vers. sin. autem C. d. bon. quæ liber. unicuiq; enim Juri pro se introducto renunciare liberum est l. pen. C. d. pact.*

LXXIV. Simili modo & patri in bonis adventitiis auferitur Ususfructus, cum filio in aditionem Hæreditatis pater consentire noluerit, tunc si filius adierit Hæreditatem, omne sibi lucrum & damnum inde acquirit, Patri nullo inde Ususfructu constituto *l. cum non solum 8. in pr. vers. sive è contrario C. d. bon. quæ liber.*

LXXV. Idem est, quando hæc conditione quippiam filio datur vel relinquitur, ut ipse plena proprietate fruatur, nec jus utendi fruendi ad patrem perveniat, tunc enim prædicta Regula cessat *N. 117. c. 1. & exinde desumpta Aut. excipitur C. d. bon. quæ lib.*

LXXVI. Hic sicco (quod dicitur) pede non prætereunda erit, non minus elegans, quam a Dd. multum subagitata quaestio. An patri Ususfructus in feudo filiofamilias concessio acquiratur? Et licet id affirmet *Niell. disp. feud. 2. th. 5. lit. D. Sonsbec. & feud. p. 7. n. 8. Nobis tamen cum Schradero in Tr. feud. par. 7. cap. 6. n. 6. Arum. disp. feud. 3. th. 39. Hunnio in Resol. Iur. feud. c. 8. negativam arripiendam esse videtur, seposita Fachinei lib. 7. contr. c. 77. inter feudum à principe concessum & feudum dignitati cohærens, ut & feudum in castris virtute armorum comparatum, quia videlicet, ut interpretatur *Arum. d. l. in castris cum Domino fuisset, distinctione. Cum si patri hoc in casu acquireretur Ususfructus, tum in Effectu feudum alii, quam cui Dominus feudi concessisset, acquireretur, id quod maxime feudi naturæ repugnat, cum id plerumq; ob servitia præstanda concedatur, in quibus cum singularis personæ industria sit electa, invito Domino vasallus alius obtrudi nequit. Cui accedit etiam**

D

iam



iam textus in Jure feudali tit. 27. lib. 2. feud. expressus, quo dicitur: beneficium statim debere transire ad accipientem, proprietatem apud Dominum remanere, si proinde pater hujus usumfructum acciperet, nihil sane filius inde esset habiturus, quia Dominus feudi proprietatem, pater autem usumfructum haberet, id quod minimè erit concedendum.

LXXVII. Lex porro etiam constituit Usumfructum matribus ad secundas nuptias transeuntibus, in bonis quæ a prioribus maritis essent assecutæ. Hæ enim omnium, bonorum quæ à maritis titulo Institutionis, legati, vel alia quavis liberalitatis causâ habebant, proprietatem quidem propter secundas nuptias contractas amittunt; hæc enim ex primo matrimonio liberis reservatur, Usumfructum verò eorundem sibi retinent *l. fœminæ 3. cum Auth. seqq. C. d. secund. nupt. N. 22. c. 46. §. 2. Ratioq; hujus est; quod mulier per transitum ad secunda vota censeatur memoriam prioris mariti & filiorum deposuisse, atq; ad eò his omnibus gravem injuriam intulisse d. N. 22. cap. 40. & 43.*

LXXVIII. Modis constituendi Ususfructus annumerari potest Adjudicatio, puta quando Judex in familiæ hereditate vel communi dividendo Judicio uni proprietatem, alteri Ususfructum adjudicat *l. Ususfructus 6. §. 1. ff. d. Usufr. l. & puto 16. §. 1. ff. fam. heredit. divid.*

LXXIX. Materia autem Ususfructus sunt omnia corpora sive mobilia, *l. Ususfructu 7. l. sed si 15. § generaliter 3. l. numismatum 28. l. statuta 41. ff. d. Usufr. sive immobilia, §. constituitur 2. Inst. d. Usufr. modo earum rerum Usus non consistat in abusu, in hisce n. Ususfructus verus consistere nequit, natura namque non patitur, ut duo contraria ejusdem rei, videlicet Usus & abusus, concurrant.*

LXXX. Verum ad exemplum hujus veri Ususfructus, utilitatis causa § constituitur 2. Inst. d. Usufr. id est, ut hominum voluntates sortiantur effectum, explicante sic Harprecht: ad d. § 2. num. 4. quasi Ususfructus introductus est, etiam in iis rebus, quorum Usus consistit in abusu; Cui abusu succurrit senatus con-



consultum cautione Vusufructuariâ, d. §. constituitur 2. Inst. d. Vusufr. l. 1. & 2. ff. d. Vusufr. ear. rer. quæ usu consum.

LXXXI. Verum antequam de cautione videamus, inquirere lubet. An in vestimentis verus Vusufructus constituatur? Et quanquam firmiter sententiæ affirmatiuæ inhæreat Donellus lib. 10. comm. c. 4. Anton. Matth. ad §. constituitur 2. Inst. d. Vusufruct. attamen nobis magis negativa cum Fabro in Rationalibus ad l. sed si 15. §. etsi 4. ff. d. Vusufruct. Hilligero in Donell. enucleat. lib. 10. c. 4. lit. B. Arum. exercit. 5. §. 18. arridet; Cum expressè in §. constituitur 2. Inst. d. Vusufruct. vestimenta Vusufructui earum rerum, quæ usu consumuntur annumerentur, jam autem harum rerum non verum, sed quasi tantum Vusufructum esse nemo negabit, qui vel per transennam (quod dicitur) d. §. 2. & t. t. ff. d. Vusufruct. ear. rer. quæ usu consum. inspexerit. Ulterius in d. §. 2. monet Imp: in iis tantum rebus, quæ usu non consumuntur verum constitui Vusufructum; vestimenta autem usu atteri & conteri perspicuum est. E. etiam in iis non verum sed quasi Vusufructum esse statuimus,

LXXXII. Forma constituendi Vusufructus consistit in eo, ut patientiâ constituentis & usurpatione ejus, cui constitutus est Vusufructus, introducatur l. omnium 3. ff. d. Vusufruct. quæ in incorporalibus, cujusmodi est Vusufructus pr. tit. Inst. d. Reb. corp. & incorp. pro traditione est l. si ego 11. §. 1. ff. d. publ. in rem act. l. quotiens 20 ff. d. serv. l. 1. §. fin. ff. d. S. R. P.

LXXXIII. Constituti autem jam Vusufructus forma hæc esse videtur, ut quemadmodum ad usufructuarium omnes redditus, omnesq; obventiones, omniaq; commoda, quanta quanta hæc sunt pertineant; l. Vusufructu 7. l. item si fundi 9. l. arbores 9. §. 1. ff. d. Vusufruct. ita etiam modum in utendo fruendoque observare debeat, ut rationem cujusq; rei conditionis habeat, remq; ad eum Vsum, ad quem vel naturâ, vel constituentis instituto est parata, percipiat l. 1. ff. Vusufr. quemad. cav. d. l. si fundi 9. l. si cuius 13. ff. d. Vusufruct.



LXXXIV. Hinc dubium; si cui Vusufructus sylvæ fuerit legatus an conveniat Vusufructuario, ut sylvam lignorum ex eâ secandorum causa cædat? Hic cum Donello lib. 10. comm. c. 8. & Garfia. in tr. d. expens. cap. 11. n. 31. & 37. distinguere lubet inter sylvam cæduam & non cæduam: l. item si fundi 9. § fin: & l. seq. l. si absente 48. in fin: ff. d. Vusufr. Sylvam autem cæduam dicimus, quæ succisa ex radicibus & stirpibus rursus nascitur; Non cæduam, quæ contra, aut quæ habet arbores frugiferas, quæ sine incommodo rei cædi non possunt l. sylva cædua 30. ff. d. V. S. Et hanc sylvam cæduam potest cædere Vusufructuarius, & etiam vendere, quanquam Paterfamilias vendere non solebat d. l. item si fundi 9. §. ult. l. Divus 22. in pr. ff. d. usu & hab.

LXXXV. Huic quæstioni vicina videtur & illa; Vtrum Vusufructuarius in sylvis, saltibus, vel montibus, aliisque locis in quibus Vusufructum constitutum habet, venari, aucupari, & piscari possit? Et eum venari, aucupari, & piscari posse constat ex d. l. item si fundi 9. § Aucupiorum 5. l. Vusufructuarius 62. ff. d. Vusufruct. Hujusq; ratio est: quia ad Vusufructuarium, non tantum quicquid ex fundo nascitur, sed quicquid qualibet etiam occasione fundi percipi potest pertinet, l. Vusufructu 7. in pr. l. Item si fundi 9. in pr. ff. d. Vusufr.

LXXXVI. Quod ampliamus ut verum sit, etiam si Dominus concedens Vusufructum nunquam in eo fundo fuerit venatus antea; Tum quod certum sit fundo in Vusufructum dato, etiam in feris bestiis quæ illic sunt Vusufructum constitutum videri, ut his feris frui possit, non secus, quam si Vusufructus pecorum esset relictus; Non autem fruatur, nisi capiet, non autem capiet, nisi venando, cum proinde in textibus ad hoc allegatis generaliter dicatur venari ei licitum esse, nec ullibi distinguatur, legem generaliter scriptam nostrum erit etiam generaliter accipere l. 1. § generaliter ff. d. legat. prast. l. 1. § 3. in fin: ff. d. aleat. Cui accedit l. si cuius 13. §. inde quæsitum 5. ff. d. Vusufruct. unde constat Vusufructuarium etiam illa fundo fruaturio imponere posse, quæ antea fundo non fuere imposita, cur ergo & in hoc casu non licebit?

LXXXVII. Sic etiam ad benè utendum fruendum pertinet.



tiuet ne fundus fructuarius mutetur & transformetur *l. si cuius*  
*13. § sed si adium 7. l. Vusufructuarius 44. ff. de Vusufr. tum etiam Vusu-*  
*fructus est jus utendi salvâ rerum substantiâ, sed quomodo sub-*  
*stantia erit salva? cum res mutetur vel transformetur.*

LXXXVIII. Sed quæstionis est; Annetum mutare pos-  
sit, si exinde Domini conditio reddatur melior? Verum nec  
illud posse cum *Donello lib. 10. comm: cap. 10. Harp: ad § constituitur*  
*Inst. d. Vusufr. n. III. videtur statuendum ex l. Vusufructu 7. in fin: l.*  
*Quamvis melius 8. l. si cuius 13: § si tamen 6. vers. sed neq; ff. d. Vusu-*  
*fruct.*

LXXXIX. Attamen cum hoc requisitum de bene uten-  
do, in quasi Vusufructu deficeret, utpote quod ex eo in accipi-  
entem Vusufructuarium Dominium transferatur; & adhuc ni-  
hilominus superesset alterum cautionis capitulum, quod vide-  
licet rem Vusufructuariam, finito Vusufructu, proprietario Vusu-  
fructuarius restituat, ideoq; huic rei ut melius prospiceretur,  
Senatus censuit, ut quidem huic Vusufructuario hæ res ita tra-  
dantur, ut ejus fiant, sed æstimatedis his satisfidatur, ut si moriatur,  
aut capite minuatur, tanta pecunia restituatur, quanti hæ fue-  
rint æstimatedæ § *constituitur 2. Inst: d. Vusufr.*

XC. Hæc autem cautio Vusufructuaria, prout res, cu-  
jus gratiâ fieri debet, duplex est, verus videlicet & proprius V-  
usufructus, ac deinde improprius & quasi Vusufructus: Ita  
etiam hanc duplicem statuimus; Vnam, quæ ex edicto præ-  
toris descendit, & verum Vusufructum respicit, quâ cavet V-  
usufructuarius, se arbitrio boni viri usurum, & Vusufructu finito  
in specie & salvâ substantiâ rem restitutum ut constat *ex l. 1. &*  
*t. t. ff. Vusufr: quemadm: cav: Alteram; quæ ex Senatusconsulto*  
*descendit, & quasi Vusufructum respicit, quâ, ut ex thesi ante-*  
*cedenti & d § constituitur 2. constat tantum cavetur, finito suo*  
*modo Vusufructu, se rem, non quidem in specie, utpote quæ ab-*  
*usu fuerit consumpta, sed in genere, vel æstimationem, quanti*  
*ea res fuerit æstimata, restituere velle.*

XCI. Hinc dubium, an ista cautio sit de substantia quasi  
Vusufructus? Et cum *Donello lib. 10. comm: c. 4. & Arum: exercit:*  
*§ thes. 19. de substantia esse statuimus. Quodcunq; enim rem*



constituit, id de cuiusq; substantia esse, nemo negabit, horum autem è numero cautionem quoad quasi Vsumfructum esse, docet § *constituitur 2. in fin Inst. d. Vsumfruct* de hac enim cautione textus habet, per hanc quasi Vsumfructum constitui.

XCII. Vnde etiam est, quod nec à Testatore legatario remitti possit. *l. 1. C. d. Vsumfr. l. si pecunia 6. ff. ut in possess. legat.* Nec idem Testator hæredem gravare potest, ut fidejussorem inopem accipiat; Paria namq; sunt non cavere & non idoneè cavere *arg. l. quotiens 6. ff. qui satid. cog. l. qui satidare 3. ff. d. fidejuss.* licet unum vel plures ex hæredibus gravare possit, ut intercedant & fidejubeant pro Vsumfructuario. *l. tribus 8. ff. d. Vsumfr. ear. rer. que usu consum.*

XCIII. Sic jam constituti Vsumfructus effectus est, ut Vsumfructuarius rem fructuariam naturaliter possideat: *l. naturaliter 12. in pr. l. possessio 49. ff. d. acquir. vel. amitt. possess.* Cui accedit & *l. fin. ff. uti possidetis*, quâ confirmatur, Vsumfructuario interdictum uti possidetis dari, hoc autem nemini, nisi possidenti competere docet. *l. si duo 3. §. creditores 8. ff. d. t.*

XCIV. Sic ex eodem jure effectus est, ut Vsumfructuarius omnes fructus, tam naturales, quam civiles, suos faciat, modo perceperit *l. arboribus 12. §. si fur 5. ff. d. Vsumfr. l. si fructuarius 13. in fin. ff. quib. modis Vsumfr. amitt. l. qui scit 25. §. 1. circa fin. ff. d. Vsumfr. §. quis vero 36. Inst. d. R. D.*

XCV. Nec refert, an fructus à solo separati sint in domo vel horreis reconditi, an adhuc jaceant solo. Nam indistinctè post separationem à solo factam, nullâ distinctione, inter tempus messis, & fructus maturos vel immaturos, adhibet à suos facit, suisq; hæredibus acquirit. *l. si ejus 78. ff. d. R. V. d. l. arboribus 12. §. si fur 5. ff. d. Vsumfr.* Si autem adhuc pendentes sint, & solo cohæreant ad proprietarium pertinent *d. §. Is vero 36. Inst. d. R. D. l. In singulos 8. ff. d. ann. legat.* Ratioq; hujus est; quia cum ususfructus sit Jus utendi, fruendi ut in *thes. 50* diximus: frui autem in facto consistat, nec aliud significet, quam fructum ex re aliquâ capere *l. 1. in pr. ff. quando dies Vsumfr. legat. ced. non ergo frui dicitur, nisi fructus perceperit Donellus lib. 10. comm. cap. 9. Hartm. Pistor. lib. 1. quæst. 24. num. 16. & seqq Dissentit Cujac. lib. 24. obs.*



24. obser. cap. 21. ad l. un. § cumq; ex stipulata 9. C. d. Rei uxov. act. in  
recit. ad Cod.

XCVI. Quod jure Saxonico aliter se habet: Nam was  
die Ege bestrichen hat. Item was geharcket ist/ das folget dem Er-  
ben des Fruchtgenießers/ Landrecht lib. 1. artic. 58. lib. 3. art. 26. Rein-  
hard. part. ult. d. ff. 11.

XCVII. Circa hunc constituti Vsumfructus Effectum  
coronidis loco inquirere libet, in quaestionem non minus uti-  
lem, quam subtilem. An videlicet Vsumfructuarius, alteri V-  
sumfructum vendere, locare, ac gratis concedere, possit? Et li-  
cet Donellus lib. 10. comm. c. 8. Harpr. ad §. Vsumfructus 1. Inst. d. Vsumfr.  
n. 16. distinguant, inter Jus ipsum utendi, & commoditatem  
percipiendi, ut videlicet hæc non illud transferatur, nobis ta-  
men, jam magis placet cum Schifford. in tr. ad Fabr. lib. 1. tr. 12.  
quest. 9. Hunnio in Resol. Trentl. vol 1. disp. 16. §. 10. & Res. Iur. Civ.  
lib. 2. tr. 2. quest. 32 Forst. p. m. disp. 8. th. 8. Vsumfructuarium ipsum  
Jus utendi fruendi, vendere, locare, ac gratis concedere, posse.  
Textus sunt expressi in l. arborib. 12. § Vsumfructuarius 2. l. non utitur  
38. l. cui 67. ff. d. Vsumfr. l. necessario 8. §. fin. ff. d. pericul. & com. rei  
vend. §. 1. Inst. d. Usu & habit. ex quibus omnibus sat clarescit,  
ipsum jus, vendi, locari, ac gratis concedi posse, nulla mentione  
superioris distinctionis facta. Nec deesse videtur etiam ratio.  
Textus enim superius allegati docent, etiam tum Vsumfructua-  
rium uti cum Vsumfructum vendiderit, ita tamen, ut non per  
se, sed per alium uti intelligatur; hoc posito, sequitur & illud,  
ut ita ad Emptorem translatus sit Vsumfructus qualiter fuit apud  
fructuarium; apud hunc autem non fuit solùm perceptionis  
facultas, Ergò nec hæc ad Emptorem transit solùm.

XCVIII. Constitutione Vsumfructus sic jam explicatâ,  
brevib. etiam ejus dissolutionem perpendemus. Nam ne pro-  
prietas, abscedente Vsumfructu semper inutilis censeatur l. si Vsum-  
fructus 8. ff. d. Us. & Usufr. legat. ideoq; certi quidam modi con-  
stituti sunt, quibus ad proprietatē iterum accedit Vsumfructus.

XCIX. Horum igitur primus est: Mors usufructuarii l.  
sicut 3. §. ult. ff. quibus mod. Vsumfr. amitt. l. si patri 3. §. si domina 10. l.  
si ambiguitatem 12. l. corruptionem 16. C. d. Vsumfruct. §. finitur 3.  
Inst.



*Inst. d. Vsufr.* Ratioq; hujus est, quod jus utendi, fruendi perso-  
næ cohæreat, & factum personæ utentis requirat. Sublatâ igitur  
personâ ejus, cui cohæret, amplius subsistere nequit. Per-  
sonalia enim nunquam egrediuntur personam *l. ex plurib. 42. ff.*  
*d. administr. & peric. tut. l. privilegia 196. ff. d. R. I. c. 1. privilegium 7.*  
*eod. in sext.*

C. Hinc dubium in civitate & universitate, cui Vsufructus fuerit relictus, quo tempore is finiatur? Hæc enim cum  
mori nunquam intelligatur, *l. proponebatur 76. ff. d. Iud. centum*  
anni præfiniti sunt, quibus elapsis, & Vsufructus extinguitur:  
hoc enim tempus, finis longævi hominis est *l. an ususfructus 56.*  
*ff. d. Vsufr. l. si Vsufructus 8. ff. d. Vsu & Vsufr. leg.* Si autem ante  
hoc tempus, Universitas vel civitas desinat, ut aratrum in ea in-  
ducatur, etiam Vsufructus extinguitur *l. si Vsufructus civitati 21.*  
*ff. quib. mod. Vsufr. amitt.*

CI. Sic etiam Vsufructuarii capitis diminutione maxi-  
mâ & mediâ, non autem minimâ exspirat Vsufructus. *l. corru-  
ptionem 16. § fin. C. d. Vsufr. § finitur 3. Inst. d. Vsufr.* Ratioque est  
quia hæc capitis diminutionibus mors quædam civilis contin-  
gat, dum prior libertatem aufert; posterior libertate salvâ civi-  
tatem: illa liberorum omnium, hæc civium numero homi-  
num eximit *§ cum a. 1. Inst. quib. mod. Ius patr. pot. solv. § 1. & 2. Inst.*  
*d. cap. dim.* In minima autem capitis diminutione nulla ejus-  
modi mortis species apparet; Cum per hanc non subducatur  
ullo modo persona è medio nec libertatis, nec civitatis.

CII. Hanc autem amissionem rectè præcavere potest  
testator; Si in Testamento suo toties Vsumfructum reperat,  
quoties erit amissus, id est, si in omnem eventum, quo capitis  
diminutione Vsufructus peribit, de novo illū relinquat, & licet  
tunc amittatur, Vsufructuario tamē ex voluntate Testatoris re-  
nascitur, & ei de novo acquiritur *l. repeti s. in pr. ff. quib. mod. Vsu-  
fra t. amitt. l. licet testatori 23. ff. d. usu & Vsufr. leg.*

CIII. Amittitur proinde Vsufructus non utendo. Non  
autem uti videtur, si in totum Vsufructuarius non utatur, &  
hoc casu omninò amittit *l. corruptionem 16. C. d. Vsufr.* Ratioq;  
hujus est, quia Vsufructus in actu consistit ejus, cui Vsufructus  
debe-



debetur, nec consistere potest, nisi sit aliquis qui utatur fruatur, l. 1. in pr. & § 2. ff. quando dies usufr. leg. ced. si autem jam non fuerit usus per decennium vel vicennium (Jure Saxonico autem, monente Koppio lib. 1. obs. 84. n. 15. 30. & uno annis tollitur) l. pen. C. d. servit. & aqua l. un. C. d. usucap. transfor. l. ult. C. d. long. temp. prescript. eum amittit.

CIV. Sic etiam Ususfructus finitur, cum Ususfructuarius in Jure, id est, ad sellam Prætoris jus suum totum Domino proprietatis cedat, sicq; à se planè abdicet §. finitur 3. Inst. d. usufruct. l. si usufructuarius 66 ff. d. l. iure dot.

CV. Hinc lubet investigare, an cedendo Extraneo Ususfructum, Ususfructuarius Jure suo privetur? Et quanquam id affirmet Hunnius in Resol. Trent. vol. 1. disp. 16. thes. 10. quest. 27. tamen cum V Vesenbecio in parat. ff. quib; mod; Vusufr; amitt; num. 5. & Anton; Matth; ad § finitur Inst. d. usufr. verius videtur, hoc casu usumfructuarium servitutem non amittere, sed actum istum pro nullo haberi, ut inquit Imp in d. § finitur Inst. d. usufruct. cedendo extraneo, nihil agi; quod idem est, ac si dixisset Imper; istam cessionem nullius esse momenti, non valere quod agitur, & nulli inde vel lucrum vel damnum accidere l. sed si 25. § pen. & ult; ff. d. usufr. l. si debitor 2. ff. d. pign. act. Tum etiam iniquum foret, ut Dominus locupletaretur cum alteri9 jacturâ, ex alieno facto l. nam hoc natura 14. ff. d. cond. indeb; l. jure nature 206. ff. d. R. I.; nec etiam pœna privationis locum habet nisi in casibus Jure expressis N. 2. c. 3. vers. sicut enim l. & si quis 14. § Divus ff. d. religios; & sump; fun; hoc autem casu pœnam amissionis constitutam esse nullus textus est qui suadet.

CVI. Jure tamen Saxonico, mulier dotalitium suum (quod etiam pro formali requirit; ut tutor mulieri detur. der sie ben thren Leibgedinge trewlich schützen vnd handhaben sölle/ Landrecht lib. 1. art. 44. Reinh p. 2. d. ff. 22.) cujus usumfructum quendam habere videtur, extraneo cedens, jure suo privatur Reinh. p. ult. d. ff. 22. zu welcher weise das Weib/ dem Erben zu schaden/ die Leibzucht aus ihm gewehren lesset/ so hat sie das Leibgedinge darumb verlohren/ Landtr. lib. 1. art. 21. & art. 32. Sciendum tamen wo die Frau ihre Leibgedinge austhun wolle vnd sie es den

E  
anver-



anverwandten Erben zu vor anbieten / so mögen sie ihre Leibgedin-  
ge wol vermieten *apost. cir. d. art. 21. Kopp. lib. 1. obs. 84. n. 14.*

CVII. Deniq; & ultimo finitur *Ufusufructus totius rei*  
*interitu & mutatione § finitur 3. Inst. d. Vfufr. l. repeti 5. §. 2. & 3.*  
*l. quid tamen 10. ff. quib. mod. Vfufr. amitt. Ratioq; hujus est: quod*  
*Ufusufructus sit Jus in corpore, quo sublato & ipsum tolli ne-*  
*cesse est l. est enim 2 ff. d. Vfufr.*

CVIII. Alteram servitutis Personalis Speciem diximus  
thesi sup. 49. esse *Usum*; sic ergo prima specie, *Ufusufructu* videli-  
cet, absoluta, videndum etiam erit de altera, videlicet *Ufu*. Et  
licet vocabulum *Ufus* variè accipiatur, quandoq; pro commodi-  
tate utendi *l. si alij 42. & ibi gloss. ff. d. Vfufr.* quandoq; pro eo: quod  
quis pro suo usu habet *l. cum testamento 28. ff. d. aur. & arg. legat.*  
quandoq; etiam pro *Ufusufructu* *N. 2. in pr. §. 1. & c. 1. tamen etiam;*  
quam significationem nos hic consideramus, pro *Jure servitu-*  
*tis* frequenter usurpatur *t. t. Inst. & ff. d. Vfu & habit.*

CIX. Et hunc dicimus esse: *Jus utendi rebus alienis, pro*  
*necessitate, salva rerum substantiâ argt. l. plenum 12. §. 1. & seqq. ff. d.*  
*Vfu & hab. Harpr. ad pr. Inst. eod.*

CX. Rectè dicitur: *salvâ rerum substantiâ: Usuarius namq;*  
*non minus cavere cogitur, quam fructuarius, se usurû re bonivi-*  
*ri arbitrato, ita, ut illâ non reddat deteriorè, neq; mutet l. huic sti-*  
*pulationi 5. §. 1. ff. Vfufr. quæ ad. cav. l. fundi 15. §. 1. in fin. ff. d. Vfu & hab.*

CXI. Sic etiam in hoc conveniunt *Ufusufructus & Ufus*  
quod uterq; iisdem modis & constituatur, videlicet: Testamen-  
to, contractu, pactionibus, & stipulationibus *in pr. tit. Inst. d. Vfu*  
*& hab. l. 1. §. 1. eod. §. 1. Inst. d. Vfufr. & iisdem etiam finitur mor-*  
*te, videlicet capitis diminutione, non utendo, consolidatione*  
*& rei interitu. arg. d. pr. Inst. d. Vfu & habit.*

CXII. Materia etiam utriusq; eadem est: *Ufus enim æ-*  
*què constituitur in rebus tam mobilibus, quam immobilibus,*  
*& seipsum moventibus arg. §. 1. §§ seq. Inst. d. Vfu & habit.*

CXIII. Formam verò constituendi & eandem credimus  
esse cum *ufusufructu*, videlicet patientiam constituentis, & usur-  
pationem ejus cui constitutus est. Hæc n. in incorporalibus qui-  
bus & *ufus* *in pr. tit. Inst. d. Reb. corpor. & incorp. annumeratur loco*  
*traditionis est l. si ego 11. §. 1. ff. d. publ. in rem act. l. quotiens 20. ff. d. serv.*  
114. Licet



CXIV. Licet constituti jam Usus forma cum reliquis ser-  
vitutibus conveniat, ut sit individuus, & in hoc ab Usufructu,  
utpote qui solus dividuus est *l. Ususfructus 5. ff. d. Usufr.* differat,  
*l. 1. § si Ususfructus 9. ff. ad L. Falcid.* Ratioq; hujus est, ut eam assi-  
gnat Paulus in *l. usus 19. ff. d. Usu & habit.* quod pro parte quidem  
frui, non autem uti possimus. Rationisq; hæc videtur esse ra-  
tio; quod cum Usufructus, licet formaliter in Jure, materia-  
liter tamen in fructibus consistat, qui utpote res corporales di-  
vidi possunt, sic ipsum quoque Ususfructum utilitatis causa,  
ut inquit Donellus *lib. 10. comm. c. 24.* dividi posse docet *d. l. 1. §. Usus-  
fructus 9. ff. ad L. Falcid.* Usus autem cum totus consistat in uten-  
do, quod meri facti est, facta autem censentur esse individua,  
*arg. l. stipulationum 2. §. Item si in facto 5. ff. d. V. S.* merito etiam ex-  
emplo reliquarum servitutum individuus erit *d. l. Usus 19. ff. d. Usu  
& hab.*

CXV. Sic etiam effectu à se invicem multum distant  
Usus & Usufructus: Cum semper minus sit in Usu, quam Vsu-  
fructu; quod cum sat clarè explicetur in § *Minus 1. cum seqq. Inst.*  
*d. Usu & hab.* ideoq; lubentes id præmittimus.

CXVI. Cum hisce personalis servitutis speciebus ma-  
gnam cognationem habet Habitatio; Unde etiam sub *tit. Inst.*  
*d. Usu & Hab.* ut & in *ff.* hæc duo Usus & Habitatio semper con-  
junguntur, quâ ex conjunctione etiam Donellus *l. 10. c. 1. & c. 21.*  
motus hanc habitationem servitutibus personalibus annume-  
rat. Verum cum duæ saltem sint servitutis personalis species,  
Usus videlicet & Usufructus *l. 1. ff. d. Usufruct.* sub horum autem  
neutro comprehenditur Habitatio, sed ut inquit Imp. in § *si cui*  
*s. Inst. d. Usu & habit.* proprium quoddam Jus constituit, & pro  
omnibus servitutibus competat actio vel confessoria, vel nega-  
toria, *l. uti fruis 5. § 1. ff. si Usufr. pet. l. ergo 5. in pr. ff. d. S. P. R. l. d. servi-  
tutibus 2. in pr. ff. si servit. vind. §. Equè si quis Inst. d. Act.* pro habita-  
tione autem nunquam hæ actiones conceduntur, sed vel actio  
commodati *l. 1. in fin. ff. commodi* vel præscriptis verbis *l. si gratui-  
tam 17. ff. d. præscr. verbis*, remedi loco proposita est: Ideoq; cum  
Hunnio *lib. 2. tr. 1. vari. Resol. Iur. civ. quest. 19.* non servitutib. perso-  
nalibus annumeramus, sed proprium quoddam Jus personale  
esse statuimus.



CXVII. Eodem modo etiam operis servorum magna cum hisce servitutibus personalibus intercedit affinitas, ut etiam in multis Usumfructum, licet non per omnia, imitentur *l. huic stipulationi 5. § fin. ff. Vsufr. quemad. cav.* Et explicatis titulis de Usufructu & ad hunc spectantibus, statim etiam subjicitur titulus de servorum operis, quo rursus motus *Donellus lib. 10. comm: cap. 1.* etiam hasce operas servitutem personale esse statuit; verum *Forsteri p. m. disp. 8. thes. 10. Corras. ad Rub. tit. ff. d. servit. num. 27.* opinio videtur verior: quod hæ operæ servorum planè servitutes dici non possint, sed aliud quoddam jus personale: arg. *l. Cajus 12. ff. d. annuis leg.* servitutes enim, ut supra diximus sunt vel personales vel Reales; Personalium autem hæc natura est: ut personam, cui constituta est, non egrediantur. *l. privilegia 196. ff. d. R. I.* Has autem operas ad hæredem creditoris transire docet *l. hominis 2. in fin. ff. d. Vsu & Vsufr. legat.* Reales etiam ita comparatæ sunt: ut rei interitu non extinguantur, *l. servitutes 20. § si sublatum 2. ff. d. S. P. V. l. certo generi 13. in pr. ff. d. S. P. R.* Hasce autem operas, mortuo servo & sic extincto corpore, & ipsas extinguere constat ex *l. sicut 3. § fin. ff. quib. mod. Vsufruct. amitt. l. non solum 8. § tale 3. ff. d. lib. legat.* Sic etiam hasce operas, nec Usum nec Usumfructum esse dicitur expresse in *l. hominis operæ 2. ff. d. Vsu & Vsufr. leg. arg. l. 1. § si Usufructus 9. vers. sed operis servi. ff. ad L. Falcid.*

CXVIII. Ejusdem farinae quæstio est, de Jure spaciandi, cœnandi, vel pomum decerpendi in fundo alieno. Et quamvis alii hoc jus personalibus servitutibus ut *Donellus* annumerent, alii inter reales ponendum esse contendant, nobis tamen cum *Harpr. ad pr. Inst. d. servit. & Hunnio in Resol. Jur. Civ. lib. 2. tr. 2. quæst. 9.* Quod jus quoddam personale sit, vero magis consonum videtur, sæpius enim reperitum & sup. ostensum fuit, duas tantum esse servitutes personales, Usumfructum videlicet & Usum. Hoc autem jus usumfructum non esse clarescit exinde, quod hoc jus licet fundo aliquid detrahat, tamen tantum quoad decerpitionem pomorum detrahit, & sic unam fructuum speciem utenti adjicit, Vsufructus a. non unius speciei fructum, sed omnes fructus Vsufructuario adjicit *l. 1. l. usufructu 7. l. item si fundi 9. l. si pendentes 37. l. arbores 59. §. 1. ff. d. usufr.* Porro cum hoc jus non per-



permittit decerpere omnia poma ad Usus necessaria, sed ea tantum, quæ jucunditatis & recreationis gratia decerpere lubet, certè nec Usus nomine erit hoc jus indigitandum, utpote qui facultatē tribuit decerpendi omnia ea, quæ necessitas requirit, *l. plenum 12. ff. d. Vsu & hab. §. 1. Inst. eod.* Sic nec servitus realis potest constitui talis, ex quâ prædium in seipso non fiat melius eiq; non utilis sit *l. quotiens 15. ff. d. servit. & ut th. 44.* fuit demonstratum. Hoc autem Jus concessum non ad ipsius prædii utilitatē, sed merā solūm voluptatem respicere videtur; Unde etiā conclusio generalis posita est in *l. ut pomum 8. ff. d. servit.* quod talis servitus ut pomum decerpere liceat, & ut spatari, & ut cænare in alieno possimus, imponi non possit.

CXIX. Et tantum de Servitutis Personalis definitione, ejusq; specierum constitutione, ac dissolutione, ut & de adjunctis dictum sufficiat. Jam ordinis institutiq; nostri ratio postulat, alteram servitutis generaliter sic dictæ speciem, quam Realem diximus esse in *th. 45;* ut etiam consideremus. Eaq; vel cum *Harpr. ad pr. tit. Inst. d. servit. n. 6.* definiri sic potest, quod sit: Jus quoddam prædio inhærens; ipsius utilitatem respiciens, & alterius libertatem seu jus diminuens. Vel si mavis cum *Vvesenb. in parat. ff. d. serv. n. 2.* Quod servitus sit: Jus agendi, habendive aliquid in fundo alieno, ad sui prædii utilitatē, quod Jure communi agere habere non licet.

CXX. Hanc proinde servitutem variè varii Dd. dividunt. Servitutum enim dicunt esse quasdam continuas, quasdā verò discontinuas. Verum rei veritate penitus inspectâ, nullam posse dici servitutem discontinuam cum *Donello lib. 11. comm. c. 3. Koppio lib. 1. obs. c. 70. n. 10. Fabro. lib. 19. conjecti c. 9. Hunnio in Resol. Jur. civ. lib. 2. tr. 2. q. 10.* statuimus, si videlicet causa servitutis (quam hic non dicimus prædia, quæ jam satis ante erant posita; (Ineptum etenim esset dubitare, an si prædiorum servitutes sint, posse aliquando non habere prædia,) sed rem omnem, quæ servituti occasionem præbet, seu cujus causa servit9 quæ sita est, quæ monente *Donello lib. 11. comm. c. 3.* duplex est: vel enim alicujus rei arcendæ causâ, quia prædium nostrum onerat, vel alicujus rei habendæ causa, quia prædio prodest, servitus constituta est: ut in stillicidio, stillicidii causa est aqua pluvia, quæ naturalis & perpetua



petua est *l. foramen 28. ff. d. S. P. V.* quia servitus stillicidii propter hanc aquam comparata est; ut scilicet eam ab ædibus nostris advertamus; In aquæductu hujus servitutis causa est hæc ipsa aqua; quæ ducitur *d. l. foramen 28. s. hoc interdictum*, nempe, quia hujus aquæ in nostro habendæ causa paratur, spectetur, quæ monente Paulo in *l. foramen 28. ff. d. S. P. V.* semper continua est, omni distinctione inter servitutes vel Urbanorum vel Rusticorum prædiorum sepositâ, cum qui omne dicit nihil excludat, & nullam distinctionem adhibeat *Cravetta consil. 290. Menochius conf. 20. n. 17. Donellus lib. 8. comm. c. 6*; Cui etiam opitulatur; quod ex regula generali præsupposita etiam de servitute Aquæductus, quam Rusticorum prædiorum servitutem esse sat clarè docet *pr. tit. Inst. d. servit.* dijudicetur, si itaq; aliud in servitutibus rusticis obtinere deberet, quomodo ex regula hisce contraria de harum natura judicari possit. Licet interim non negemus, usu servitutis & sic exercitio factoque hominis inspecto, servitutes quasdam discontinuas dici posse.

CXXI. Sic etiam non immerisò improbamus istam servitutum a Dd. allatam divisionem: quæ dividunt eas in servitutes nominatas & innominatas; Et nominatas dicunt eas, quæ positæ sunt in *pr. tit. Inst. d. servit.* Innominatas verò eas, quas positas videmus in *§ Inter 2. Inst. d. serv.* Et dicuntur nominatæ secundum *Paul. d. Castr. in l. 1. ff. d. S. P. V.* quia sunt nomina Juris, ut iter, actus, via, aquæductus &c. Innominatæ autem ideo: quia illa sunt nomina actus, non nomina propria, sicut sunt aquæhaustus, pecoris ad aquam appulsus, Jus pascendi, calcis coquendæ. Cum autem in Jure nostro, res eæ dicantur nominatæ, quæ habent speciale & elegans nomen *l. Iur. gentium 7. s. 1. ff. d. pactis* certè negari non potest, etiam istas servitutes, quas Dd. innominatas appellitant, esse nominatas, cum speciale habent in Jure impositum nomen, & æquè referuntur ista nomina ad Jus non verò ad actum, ut servitus, aquæductus. Et etiam *Imp. in d. §. Inter 2. c. l. 1. s. 1. ff. d. S. R. P.* istas quas dicunt innominatas, eodè Jure inter rusticas servitutes computat, quo reliquæ, quas dicunt Nominatas, computantur.

CXXII. Quare hisce Dd. divisionibus sepositis, textibus Juris



Juris passim fundatam arripimus divisionē, quā servitutes quædam esse dicuntur: Prædiorum Urbanorum, quædam Prædiorum Rusticorum *l. i. ff. d. servit. t. t. ff. d. S. P. V. & S. P. R. & t. t. Inst. d. servit.* cum enim monente *Fabro in conjectur. lib. 19. c. 15.* prudentes viderent, quod ex servitutibus quædam visæ sunt habere plus necessitatis & utilitalis ratione prædiorum, quæ essent in urbe, *id est*, ædificiorum, dubitandum non est ab initio urbanas dictas fuisse, aliæ verò aptiores esse fundis & prædiis, quæ ruri essent excolendis, unde aliis natura & appellatio servitutum Rusticarum indita fuit.

CXXIII. Sed hîc dubium; Quænam servitutes sint dicendæ, Prædiorum Urbanorum & quænam Rusticorum? Et licet *glossa in l. pater 6. verbo plenum lit. K. ff. d. servit. legat.* hancq; securus *Koppius lib. 1. obs. 26. n. 7. Capolla in tr. d. Servit. V. P. c. 11. num. 10. Harpr. ad pr. Inst. d. servit. n. 29.* dicant servitutem denominari à prædio dominantis, tanquam à digniori, & sic Urbanam servitutem dicunt quæ debetur prædio Urbano, & Rusticam, quæ debetur prædio rustico; ex quo ulterius inferunt, quod licet via sit servitus Rustica, tamen si constituta fuerit prædio urbano, urbana debet dici servitus; Verum cum stante hoc præsupposito, turpissima fieret omnium servitutum confusio, & quæ antea dictæ fuerunt rusticæ jam dicendæ essent urbanæ, & è contrâ, ac sic planè supervacuum fuisset Imp. labor, species Urbanorum & Rusticorum Prædiorum statuisset separatas; Ideoq; cum *Corrasio ad Rub. ff. d. serv. n. 23.* videtur verius, ab utroq; tam serviente, quam dominante fundo servitutem esse appellandam, & si utrumq; prædium Rusticum, servitus rustica erit dicenda, si urbanum, urbana. Quod si alterutrum esset urbanum alterum rusticum, neutrum per se spectandum sed ipsa servitutis constitutio attendenda, & ad id eò magis inclinamus, quod dissentientium sententia nullo nitatur Juris textu.

CXXIV. Ulterius ergò Urbanorum Prædiorum servitutes dividimus in Affirmativas, ut servitus altius tollendi, stillicidii avertendi, & Negativas, ut altius non tollendi, stillicidii non avertendi & c. *Kopp. lib. 1. obs. 78. n. 1.* Idq; servitutes Prædiorum Urbanorum singulare habere videntur, præ servitutibus Prædiorum



diorum Rusticorum, cum hæ sint simplices & affirmativæ tantum, perpaucis exceptis, quæ possint constitui negativè. Ratio autem diversitatis juxta *Fabrum lib. 19. conject. cap. 15.* est quod servitutes Prædiorum Rusticorum magis in facto consistant, quod non potest esse continuum *l. servitutes 14 ff. d. serv.* Servitutum verò Prædiorum Urbanorum usus continuus est, ut quamvis nullus amplius servitutis usus esse possit, adhuc tamè servitùs duret, nisi is, cujus prædium servitutem debebat, aliquid ex parte sua fecerit, per quod impediatur servitutem, id quod retinuerit per tempus legitimum, & sic facto procedente prædium serviens, non solum sibi libertatem, sed etiam contrariam servitutem acquirit, quæ sibi possit esse utilis; Præscripta enim servitute altius non tollendi, acquisita est contraria servitute altius tollendi, id est, patiendi ut ædes quæ servitutem debebant altius non tollendi, jam altius tolli possint, alioquin prior illa servitute altius non tollendi semper durare intelligeretur. In servitute autem Prædiorum Rusticorum, præscripta servitute eundi, non acquiritur Domino prædij servientis, servitute non eundi.

CXXV. Cum ergo utilitas, cujus causam videntur comparata servitutes, in ædibus occurrat triplex, ideo quæ & servitutes earum in triplicem dispescimus ordinem. Quædam enim ad commoditatem interiorum domus, vel habendarum, vel retinendarum causa, adversus vicinum, qui sine servitute id in suo alias impedire posset, sunt constitutæ: Quædam verò dilatandarum ædium nostrarum causa comparatæ sunt; ita ut dilatatio provehatur in alienum; Quædam denique ædium nostrarum exonerandarum causa inventæ sunt, ut onera rejiciantur in alienum.

CXXVI. E primo proinde servitutum Urbanorum Prædiorum genere est servitus, seu jus altius tollendi *l. Urbanorum 2. ff. d. S. P. V.* Et an hoc jus reverà servitus sit, non usquequaque expeditum est: Eam servitutem esse docent *l. 1. & l. Urbano- rum 2 ff. d. S. P. V. l. rusticorum 2. ff. d. S. R. P. l. in tradendis 7. S. 1. ff. comm. prædior. § equè 2. Inst. d. Act.* Sic etiam in *l. qui luminibus 11 ff. d. S. P. V.* jubetur formam ac statutum antiquorum ædificiorum custodire debere; item in *l. ex quo 13. § 1. C. d. adif. priv. habe-*



habetur, quod hi, qui proprias domos renovant, veterem formam excedere non debeant, unde & in *l. 1. C. d. servit. & aqua* Imp: Antoninus pollicetur actionem adversus eum, qui ædificium contra veterem formam extruxit, quod sanè sicut non de alia actione intelligi potest, quam quæ pro servitute competit, ita nec de alio intelligi potest, quam de eo Jure Servitutis, & qui contra servitute[m] ædificavit, non de illo qui, Jure libertatis naturalis ædificavit. Econtra autem sunt ratio & textus etiam, qui suadent Altius tollere in servitutum catalogum non esse collocandum: Ratio est, quod servitus nunquam intelligatur imposita, nisi cum constituens jus suum diminuit, nostrum verò auxit *l. de pupillo s. s. belle 9. ff. d. nov. op. nuncia*. Ast ut liceat nobis ædes nostras altius tollere invito vicino, in eo cõstituentis jus non imminuitur, cum jure publico nullum ejusmodi prohibendi Jus habuerit, neq; nostrum augetur, cum id non ab illo accipiamus, sed à Jure publico. Sic ex *l. cujus 24. l. cum eo 9. ff. d. S. P. V. l. altius s. C. d. Servit. & aqua*, constat Jure naturali cuilibet liberum esse cuiq; altius ædes suas tollere, nisi servitus sit imposita. Verum cum *Cujac ad Afric. in l. si priusquam s. ff. d. nov. oper. nunciat. & Fabro in Conjectur. lib. 19. c. 15.* distinguendum est, aut quis tollit ædes suas altius jure suo, id est, jure libertatis, aut jure impositio, i. e. jure impositæ servitutis. Nam qui tollit altius jure suo & naturali, is potest tollere in infinitum, nec veterem formam servare cogitur, & de eo casu textus modo allegati sunt accipiendi. Qui verò altius tollit jure impositæ servitutis, veterem formam servare cogitur & ædificare, ut non faciat duriores vicini conditionem, quam fuit antea, & sic accipi debent textus superius in medium allati.

CXXVII. Ast hoc mirè ingenium torsit Dd. quodnam & quale queat dari exemplum, quo quis non jure libertatis, sed jure servitutis impositæ possit altius in suo tollere, ita ut *Vult. lib. 2. dis. schol. c. 5.* testante, veteres Interpp. hunc nodum dixerint inextricabilem & monente *Corrasio ad l. 1. ff. d. Serv. n. 9.* tantas offudit hoc exemplum Dd. tenebras, ut necdum lumen receperint; nam quo plus se extricare pergunt, eò magis impediuntur. *Joannes Faber* igitur & cum hoc *Harp. ad S. Prædior. l. Inst. d.*

F

servit.



*servit. nrm. 30.* effingunt talem casum: Cum in civitatibus jure  
municipali certus modus ædificiis constitutus est, ne quis possit  
supra modum ædes suas altius tollere, contra hoc ergo statu-  
tum cum pactum fuerit, imposita censi debet altius tollendi  
servitus. Verum hoc exemplum videtur minus probabile: tum  
quod hoc ad jus municipale pertinet, non ad jus commune,  
quod tamen agnoscit istam altius tollendi servitute[m] *l. Urbano-  
rum 2. ff. d. S. P. V. l. rusticorum 2. ff. d. S. P. R.* cum quod huic Juri  
municipali pactum privatorum derogare nequeat; præsertim  
cum non principali & cujusq[ue] in individuo, licet per cōsequen-  
tiam & omnium simul consideratorum respectu, ad privato-  
rum, sed ad totius civitatis utilitatem respiciat *l. Ius publicum  
38 ff. d. pact.* Ad hoc enim respicere videtur statuti ratio, ne aspe-  
ctus urbis deformetur inæqualiter ædificiis exædificatis, & ne  
tempore enati ignis, una domus alteram suffocet, & cum nimis  
altæ sint ædificatæ ascendi nequeant & sic ignis difficulter extin-  
guatur. Ideoq[ue] alii aliud adducunt, hanc servitute[m] eo modo  
constitui asserunt; Cum is, cujus ædibus debebatur servitus al-  
tius non tollendi, eam remittit. Verum cum non præsumatur,  
is, qui remittit servitute[m] alteriq[ue] libertatem condonat, quod  
eo ipso statim velit servitute[m] suis ædibus acquisitam. Ideoq[ue]  
*Vulsius lib. 1. discept. Schol. c. 5. pag. 44.* distinguit inter cessionem &  
remissionem servitutis statuens, quod quando remittitur non  
posse obrinere ejusmodi constitutionem servitutis, secus autem  
esse asserit, si cedatur: nam tunc non acquisita tantum videtur  
libertas, verum etiam rursus constituta servitus contraria. Cui  
etiam addi potest modus constituendi quem *Faber* approbat *in  
suis Conject. lib. 19. c. 15. in fin.* Ubi dicit servitus altius tollendi ea di-  
cenda est, quæ inducitur, per consequentiam necessariam ex  
usucapione libertatis & servitutis altius non tollendi, cum fieri  
nequeat, ut servitutis libertas usucapiatur, quin hoc ipso con-  
traria servitus acquiratur *sup. thes. 124.* per quam fit, ut qui ædes  
suas altius tollere non poterat te invito, eas nunc possit tollere  
altius etiam te invito, idq[ue] non ex libertate illa naturali, quæ  
hanc facultatem ei daret, si nunquam ulla servitus debita fuis-  
set, sed jure acquisito per usucapionem libertatis: sicut enim  
non



non acquiritur libertas servitutis, nisi illo, qui servitutem altius non tollendi debebat, altius tollente *l. sequitur 4. §. fin. ff. d. usucap. l. si aedes 32. §. libertas 1. ff. d. S. P. V.* ita non potest videri acquisita servitus altius tollendi, nisi quatenus ille altius sustulerit, ut tantū videatur præscriptum, quantū fuerit possessum, ac proinde si vult modū ille excedere & adhuc altius tollere, ei non erit permittendum, quasi durantibus quibusdam servitutis pristinae altius non tollendi reliquis, in eo quod excedit modum illum veterem ædificii, qui servatus fuit in usucapienda libertate.

CXXVIII. Altius proinde tollendi servitus est: Jus, quo vicino liceat ædificare prædium suum urbanum, quousq; voluerit. *Harp. ad pr. Inst. d. servit. n. 30. Koppen lib. 1. obs. 78. n. 3.*

CXXIX. Huic servituti altius tollendi, contraria est, servitus altius non tollendi, (hasce enim diversas distinctasq; species esse ex *l. urbanorum 2. ff. d. S. P. V.* ubi per particulam disjunctivā. *Aut* sejunguntur, ut res diversæ cum *Forstero disp. 7. th. 9. Harp. ad §. Prædiorum 1. Inst. d. serv. n. 29.* statuendum credimus) quæ est Jus quo naturalis libertas ædificandi altius inhibetur *l. si aedes 32. ff. d. S. P. V. l. altius 8. C. d. Servit. & aqua.*

CXXX. Sic ex hoc primo genere est servitus ne luminibus officiat, quæ definitur: Jus, quo vicinus lumen ex cælo veniens vicino adimere & obscurius facere, prohibetur *l. inter servitutes 15. & l. seq. ff. d. S. V. P.* Et hanc distinctam esse à servitute altius non tollendi, licet in contrarium sit *Donellus lib. 10. com. c. 11. cum Fabro lib. 19. conject. c. 15. & Forster. p. m. disp. 7. th. 7.* videtur verius, cum hæ duæ servitutes fine & usu omninò differant. Altius enim tollendi effectus & finis est, ne luminibus vicini officiat, non omni modo, quibus noceri luminibus possit, sed eo modo qui determinatus est in servitutis constitutione, videlicet altius non tollendo *arg. l. adificia 12. ff. d. S. P. V.* cum autem adhuc superessent alii modi, quibus aliter noceri posset lumen vicini, ideo inventa est servitus, ne luminibus officiat, quæ id etiam continet, ut ne arbor vel aliud quid possit poni supra ædes, quò lumen noceretur *l. inter servitutes 15. l. si arborem 17. ff. d. S. P. V.* id etiam arguit particula implicativa *Maximè* in *l. luminum 4. ff. d. S. P. V.* cum enim maximè & principaliter conti-



neat eum modum, quo videlicet altius tollendo nocetur lumi-  
ni, necesse est, ut etiam præter hoc aliquid contineat. Fine au-  
tem & usu diversæ servitutes, etiam re ipsa erunt diversæ *arg. pr.*  
*& tt. Inst. & Servit.*

CXXXI. Cum hæc servitute, ne luminibus officiat, con-  
currit & servitus Luminum, adeo, ut *Donellus lib. II. comm. c. 5.*  
unum & idem esse hæc duas servitutes, & tantum nomine, ita  
ut in priori pleniori oratione in posteriori verò breviori & uno  
verbo res explicetur, differre, existimet. Si tamen res diligen-  
tius consideretur, omninò verum videtur, hæc servitutes esse  
distinctas, ut constat ex *l. luminum 4. ff. d. S. P. V.* ubi primum di-  
versa cujusq; nomina recenset *J. C.*us, deinde etiam cujusq; di-  
versum recenset effectum, quod videlicet in servitute luminum  
id acquisitum videatur, ut vicinus lumina nostra excipiat, in  
servitute autem, ne luminibus officiat, ne vicino liceat invi-  
tis nobis altius ædificare. Et monente *Fabro in Rationalibus*  
*ad d. l. 4.* servitute ne luminibus officiat nostrum incommo-  
dum propulsamus, ac servitute luminum nos vicini incommo-  
dum ad nostrum commodum procuramus, Et sic plus est in  
servitute luminum, quam in servitute ne luminibus officiat,  
quoniam hæc tantum facere prohibet, ne altius tollendo lumi-  
nibus officiat, hæc verò cogit Dominum fundi servientis ex-  
cipere lumen vicini, non aliquid faciendo, quo transitus vel lu-  
men impediretur.

CXXXII. Hic non prætereunda ista sat dubia & à *Dd.*  
multum in utramque partem disputata quæstio. An videlicet  
cuiq; liceat in pariete suo habere fenestram invito vicino? *Dua-  
renus* sanè in *lib. 1. disp. c. 33.* ex eo quod cuiq; licitum sit facere in  
suo quod velit, dum in alienum nihil immittat, *l. sicut 8. §. 5. ff. de  
servit. vind.* Jam autem ex sententia *Xenocratis* nihil refert,  
oculosne an pedes in alienum immittamus & ex *l. pen. ff. d. S. P. V.*  
motus, statuit, licere invito vicino fenestram in pariete non  
habere *Donellus* verò *lib. II. comm. c. 5.* ex eadem *l. sicut 8. §. 5.* con-  
cludit fenestram invito vicino habere licitum esse: Cum nihil  
immittatur reverà in prædium alienū, si enim superius allatum  
semper verum & necessitatis, licet honestatis sit, esset, sequere-  
tur



tur etiam, quod in cæmeteria & locum, publicum non licitum  
esset habere fenestram cum ne in hac quidem quicquam im-  
mittere licitum sit *l. præter ait 2. in pr. ff. ne quid in loco publ. l. 1. ff.*  
*ne quid in loc. sacr. fiat nil remorante allegata l. pen. ff. d. S. P. V.*  
cum ibi longè alius decidatur casus; Dubitabatur enim de pa-  
riete communi, an unus ex sociis, reliquis invitis, possit huic  
immittere fenestram, Et respondet Imp. non posse, quia socius  
nil quicquam facere potest in re communi reliquis invitis *l. Sa-*  
*binus 28. ff. comm. div. l. an unus 11 ff. si servit. vind. l. parietem 8. ff. d.*  
*S. P. V.* Verum hæc sint utut sint nobis tamen cum Harpr. ad  
*§. Prædiorum 1. Inst. d. Serv. arripienda videtur ea sententia, quæ in*  
*l. ex quo 12. §. 1. 2. 3. & l. seq. C. d. adif. privatis* expressè fundatur  
eaquè talis est: ut primum distinguatur inter fenestras fabrican-  
das, deinde inter parietem in quo fabricandæ sunt, illæ dupli-  
cis sunt generis. Aliæ enim sunt prospectivæ quibus aerem  
haurimus, unde prospicimus & amœnitatis ergo utimur, aliæ  
sunt luciferæ, *h. e.* quibus tantum solem excipimus. Paries au-  
tem aut est ædibus vicini nimium propinquus, aut ab iisdem  
legitima distantia remotus; In illo, nullæ fenestræ, nisi ante fue-  
rint, sunt ædificandæ, in hoc possunt, rursus tamè eâ adhibita di-  
stinctione. Paries enim alius aut novus, ut primum ædificetur,  
aut vetus est, in illo tam prospectivas quam luciferas fenestras  
si 12. pedibus à vicino distet, in hoc si decem pedum distantia  
sit, habere licet, Luciferæ autem utrique parieti immitti pos-  
sunt, si distent tantum sex pedibus à vicino.

CXXXIII. Ulterius primo generi Servitutum Urba-  
norum Prædiorum accensetur & servitus prospectus, & ne pro-  
spectui officiat *l. est & hæc 3. l. Inter 15. ff. d. S. P. V.* Et est hæc  
servitus: Jus, quo constituitur, ut vicinus in suo nil facere pos-  
sit, quod impedimento sit gratiori nostro prospectui. *arg. d. l.*  
*inter 15.* Et in hoc differt à servitute, ne luminibus officiat &  
luminis: quod in hac multo magis & duplo plus contineatur,  
quam in illa. In servitute enim luminis, & ne luminibus offi-  
ciatur continetur tantum illud, ut cælum videre liceat, lumen  
enim ex cælo est *l. lumen 16. ff. d. S. P. V.* Unde nec ex inferiori  
loco esse potest. Prospectu verò continetur, ut liceat aspicere  
F 3 & supe-



& superiora & inferiora, illa ad lumen, hæc ad gratiorem & liberum prospectum pertinent *d. l. inter 16. Donellus lib. 10. comm. cap. 5.*

CXXXIV. Et licet iterum quidam hæc duas servitutis species, unam & eandem statuunt esse servitutem, tamen nobis cum *Hunnio in Resol. Jur. Civ. lib. 2. tr. 2. quest. 6.* verius videtur, diversas esse hæc servitutes: cum ad diversum finem, diversaq; planè intentione constituentur. Nam cum fenestram secundum distinctionem in *thes. 132.* propositam demum habere liceat, pactis contrahentium potest constitui servitus prospectus, ut sepositis istis distinctionibus, fenestram & sic prospectum habere liceat, huic sic jam constitutæ servituti prospectus succurritur, illa servitute, ne prospectui officiat; Et sic hæc custodit liberum, quod antea fuit constitutum, illa verò, quod nondum fuit, constituit, & in servitute prospectus tantum per consequentiam inest servitus, ne prospectui officiat.

CXXXV. E secundo autem genere servitutum, quæ constitutæ sunt, ut ædes nostræ dilatentur immittendo aliquid in alienum, est servitus *Tigni Immittendi* vulgò *das Tramrecht*, quæ est: jus, quo vicino in parietem vel aream vicini tigna vel trabes immittere licet, ut in eo requiescant *l. servitutes 20. ff. d. S. P. V.*

CXXXVI. Quo pertinet etiam servitus protegendi sive projiciendi (licet *Donellus* hæc duas, à se invicem ut genus & speciem differre velit, & eo fine etiam in *l. Urbanorum 2. in fin. ff. d. S. P.* a se invicem distingui allerat, nam projectum significat omne, quod emittitur extra parietem nostram, ut nusquam alibi conquiescat, sive tegendi parietis causa, sive ædificii alicujus supra id projectum imponendi *l. malum 242. s. 1. ff. d. V. S. Prorectum a.* id est, quod emittitur tantum tegendi causa, ut compositio verbi satis indicat, & sic protectum & à suggerendo in edicto de his qui deiecerunt vel effuderunt distinguitur *l. si veros. s. prater ait ff. d. his qui deiec. vel effud.*) quæ licitum est, repletum suum supra alterius aream extendere ad protegendas à pluviz injuris ædes.

CXXXVII. Huc deniq; refertur servitus oneris, vicina sero



na servituti tigni immittendi, quā nimirum paries vel columna  
aliena onus nostrarum ædium ferat *l. 1 §. fin. l. cum 33. ff. d. S. V. P.*  
Quę hoc à reliquis servitutibus speciale habet, ut is qui servitu-  
tem debet aliquid facere teneatur contra communem servitu-  
tum naturam, *l. quotiens 15. §. 1. ff. d. servit.* videlicet reficere pa-  
rietem sive columnam, quæ hanc oneris servitutem debet *d. l.*  
*eum 33. l. sicut 8. §. distant. 2. Si ff. serv. vind.* unde etiam Gallus in *l. Etsi*  
*§. §. etiam 2 ff. d. t. dubitat:* an talis possit constitui servitus, ta-  
men Servij sententia obtinuit ex specialitatis ratione, quæ cum  
sat clarè explicetur in *d. l. Eum 33.* ideo huc eam transferre super-  
vacuum diximus.

**CXXXIX.** Sequitur jam tertia, & ultima servitutum  
prædiorum Urbanorum species, quas ædium nostrarum exone-  
randarum causa comparatas esse diximus, quarum è numero est  
servitus stillicidii, quæ duplex affirmativa, ut stillicidii averten-  
di, & negativa, non avertendi.

**CXXXIX.** Servitus autem stillicidii avertendi est: jus,  
quo vicinus aquam supra tectum suum cadentem in ædes vel  
aream, vel cloacam vicini avertere vel derivare potest *arg. §. Præ-*  
*diorum 1. Inst. d. Serv. l. Urbanorum 2. ff. d. S. P. V.*

**CXL.** Hujusq; servitutis effectus est, ut hanc debens,  
ædes suas altius possit tollere, non etiam inferius dimittere. Ra-  
tio diversitatis est, quod dum ædes tolluntur altius, levior eo fa-  
cto fit servitus, cum quod ex alto cadit, levius cadat, & sæpius  
ad directum locum servientem non perveniat, si inferius dimit-  
tuntur gravior fit servitus, licet enim vicini fundum fieri melio-  
rem, non autem deteriorem, nisi nominatim aliquid in servitu-  
te imponenda immutatum fuerit *l. servitutis 20. §. stillicidium 5. ff.*  
*d. S. P. V. Corras. ad l. 1 ff. de serv. n. 45. Kopp. obs. 28 n. 36.* nec etiam  
is qui servitutem stillicidii recipiendi debet, prædio servienti  
potest imponere ædificium, ubi cassitare solet stillicidium, *d. l.*  
*servitutis 20. §. si servitus 3.* nisi id ædificium stillicidii servitutem  
nō impediatur *d. l. servitutis 20. §. fin ff. d. S. P. V. Corras. d. l. n. 47. Harp.*  
*ad §. 1. Inst. d. servit n. 21.*

**CXLI.** Servitus autem stillicidii non avertendi est: jus,  
quo vicinus stillicidium suum in ædes, vel aream, vel cloacam  
vicini



vicini avertere prohibetur, cum fortè jus avertendi contractu aliquo sibi acquisitum antea habuerit, *l. urbanorum 2. ibi non avertendi. ff. d. S. P. V.*

CXLII. Sic etiam huc pertinet servitus fluminis, quæ iterum duplex; Fluminis videlicet recipiendi, vel non recipiendi. Servitus fluminis recipiendi est: Jus, quo vicinus pati cogitur, ut aqua pluvia in canalem vel alvum vicini plumbeum, sive ligneum recepta, suas in ædes, aream, vel cloacam cum impetu feratur *arg. l. servitutis 20. §. stillicidium 5. ibi pro stillicidio flumen. ff. d. S. P. V.*

CXLIII. Sic fluminis non recipiendi servitus est: quæ vicinus flumen, *i. e.* aquam collectam, per canales in nostram aream vel cloacam avertere prohibetur.

CXLIV. Differt autem hæc servitus à servitute stillicidii, quia stillicidium ex alto sive superiori, flumen verò ex imo seu inferiori loco per foramen aut canalem constituatur. Deinde quod stillicidium minuatim seu guttatim cadat, flumen cum impetu & copia emittatur *d. l. servitutes 20. §. stillicidium 5. & l. foramen 28 ff. d. S. P. V. Harp. ad §. prædiorum 1. Inst. d. servit. n. 28.*

CXLV. Et tantum de servitutibus urbanorum speciebus, brevibus nunc etiam videbimus de Servitutibus Prædiorum Rusticorum, quarum utilitas, unde æstimantur etiam triplex apparet: Quædam enim ad fundum nostrum, accedendi causa, quædam ex alieno ad nostrum quid sumendi, quædam exonerandi fundi nostri gratiâ constitutæ videntur.

CXLVI. Inter prioris generis servitutes numeratur, *Iter pr. tit. Inst. d. Serv. l. i. in pr. ff. d. S. P. R.* Est autem iter: jus eundi ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi vel vehiculum.

CXLVI. Dicitur esse jus eundi: Ire autem videtur esse pedibus ad aliquem locum progredi, sic tamen pedibus, ut nihil inter sit, ad eundem suis pedibus quis in eo utatur, aut alienis. Nam & qui ab eunte gestatur, & ipse ire dicitur, unde etiam ire potest, qui eat equo, item is ire intelligitur, & qui sella & lectica vehitur *l. qui sella 7. l. iter 12. ff. d. S. P. R.* unde etiam nomen suum habere videtur germanica denominatio, quæ iter dicitur: eum



ein Fußsteig darüber man pfleget zu gehen und zu reiten/ secund:  
gloss: Iur: Saxon: art: 27. lib. 2. Köpp: lib. 1. obs: 77. n. 5.

CXLVII. Et ulterius illud ire ampliant, ut qui iter ha-  
beat, etiam cum socio ire possit arg: l. inter 12 ff. d. S. R. P. cui id  
licet, quod minus est, cur non debeat licere id quod magis est,  
l. non debet 21. ff. d. R. I. cum certè is qui equo com meat, non plus  
agat, quam qui socium ducat, & minus eo qui lecticâ vehitur, ad  
quod plerumq; octo requirebantur servi l. si ex toto 8. §. si ita le-  
gatum sit 2. in pr. ff. d. Leg. 1. l. item legato 19. in pr. ff. d. legat. 3.

CXLVIII. Sic si Dominus in itinere malens pedes ire,  
descendat de equo, equum manu prehensum ducere potest, &  
quod magis est: etsi Dominus in fundo sit, rectè ad eum per  
famulum aut alium quemlibet deducetur equus in fundum,  
ut rediturus equum conscendat. Nam cum eques possit ire &  
redire, d. l. inter 12. sine dubio, & equitandi causa ad eum equum  
duci permittendum erit. Re enim concessâ, intelliguntur o-  
mnia, sine quibus concessio commode uti non possimus con-  
cessa arg. l. cui iurisdictione 2. ff. d. Iurisd. Donellus 1. comm. c. 6.

CXLIX. Ulterius additur esse *jus ambulandi*, quod voca-  
bulum ambulandi, hîc non conjunctim cum vocabulo eundi  
sumptum volumus, quasi unum & idem esset; sed disjunctim  
sumi debere, & ire plus significare, quam ambulare statuimus:  
cum ex l. inter 12 ff. d. S. P. R. constat, iter esse quo quis com mea-  
re possit. Jam autem com meare non propriè partem itineris  
significat, sed potius Extremum denotat, quo iter solet confu-  
mari, & ut itineribus non semper utimur, sed cum usus exege-  
rit l. 1. §. hoc interdicto 2. vers. neq; ad presens ff. d. itinere actuq; priva-  
to: ita etiam pluribus modis accidere potest, ut iter ingressus,  
priusquam consumam illud, cogar regredi, quo casu certum est,  
potius me ambulasse, quam ivisse, ut proinde, cum eamus vi-  
deamur ambulare, non autem cum ambulemus ire, & sic plus  
erit in vocabulo ire quam ambulare Schifford. ad Fabr. lib. 2. tr. 20.  
quest. 6.

CL. Sed quærere lubet; An constituto itinere is cui ser-  
vitus ista constituta est, possit iter reficere, & refectionis causa  
in fundo fervienti fodere & substruere, item fabros & mercena-  
rios



rios in fundum inducere? Et posse suadet textus, suadet & ratio, textus est expressus, in *l. refectionis 11. §. fin: ff. comm. pr. dior.* Ratio etiam est in promptu, cum re aliqua concessa, ea omnia concessa intelliguntur sine quibus commodè re uti non possumus *l. ult. ff. d. offic. ejus cui mandat. est iurisd. l. huius 6. ff. qui pot. in pign. c. prater ea 5. & c. suspicionis 39. d. off. & pot. Iud.* Et hanc regulam maxime in servitutibus locum habere docent nos *l. si iter 10. ff. d. servit. l. servitutes 20. §. 1. ff. d. S. P. V.* Cum igitur is cui iter constitutum est, non possit ire commodè itinere non refectione manifestum evadit, reficiendi potestatem huic esse concedendam.

CLI. Sed cuinam, itinere legato, competat electio, quâ fundi parte ire velit, dubium est, Verum nos cum Harpr. ad *pr. Inst. d. serv. n. 38. Donell. lib. 11. comm. 13.* arbitramur electionem potius Hæredi esse concedendam, *l. si via 26. ff. d. Serv. P. R.* Quod si hæres eligere cesset, liberum erit legatario per quamlibet fundi partem ire, civili tamen modo, hæc est, ne fortè per vineas aut segetes ire cupiat, cum per alias partes commodè transire possit *l. si cui 9. ff. d. servit.* Et si hæres eligat, contendat quæ legatarius, illâ electione captionem in servitute sibi fieri, tunc res ad arbitrium boni viri erit reducenda *l. certo 13. §. 1. in fin. ff. d. S. P. R.*

CLII. Latitudo autem itineris jure communi determinata non est, ideoque à partibus statuenda, vel à Judice erit determinanda, *l. certo 13. §. latitudo 2. ff. d. S. P. R.* Jure autem Saxonico requiritur: Das ein Steig sol haben in die weite drey fuß breit / Weichbildt art. 530.

CLIII. Sic primi generis servitutibus annumeratur & servitus Actus, vulgo Ein Besuchweg oder Treib / quæ est: jus agendi vel Jumentum vel vehiculum *pr. tit. Inst. d. servit. l. 1. vers. actus est ff. d. S. P. R.*

CLIV. In servitute actus esse & iter docet Imp. in *d. pr. & d. l. 1.* quod tamen cum grano, quod dicitur, salis accipiendum putamus. Potest enim servitus actus esse sine servitute itineris in abstracto, sed non sine itinere in concreto, cum nemo agere possit, quin eat. Hinc ista intricata quæstio, an servitutum



etutem Actus habens, etiam iter habeat, ut sine jumento ire possit, hoc est, ut explicat Harpr. ad d. pr. Inst. n. 59. ut ire possit, etiam si non agat vehiculum vel jumentum. Affirmat id Donellus lib. 11. comen. c. 6. Hunnius in Resol. Jur. Civ. lib. 2. t. 2. quest. 3. Nobis tamen cum Fabro lib. 1. Conject. c. 20. & Schifford. lib. 2. tract. 20. per tot. videtur verius in actu quidem iter, sed non servitutem itineris esse, & sic non posse ire sine jumento: cum enim id concederetur, sequeretur, quod nihil amplius à se invicem distarent Itineris & actus servitus. Pro formali enim semper ponunt Dd. in Itinere, ut sit ire absq; jumento, formale autem in Actu agere Jumentum vel vehiculum, ut id elegantissimè probat, l. si ita 13. ff. d. servit. juncta l. qui sella 7. l. inter 12. ff. d. S. P. R. si ergò ex dissentientium sententia, etiam servitute actus constituta, absq; jumento quis ire posset, sanè servitù itineris in hanc Actus servitutem transfunderetur. Excipiunt quidem, plus adhuc esse in Actus, quam in Itineris Servitute, verum meminisse convenit plus & minus non constituere specificam differentiam; Sic etiam ex eorundem sententiâ servitus Actus fieret servitus dividua, quod tamen contra naturam, excepto solo Usufructu, servitutum est l. 1. §. si usufructus 9. ff. ad L. Fal. formale enim hujus ut dictum, est agere vel Jumentum vel vehiculum, certè si adhuc plus huic servituti inesset, ut extra hosce casus etiam ire posset sine jumento, pro parte tantum formali, quod tamen in totum retinere debet, uteretur; constat idem etiam ex l. per Injurandum 13. §. 1. ff. d. accept. ubi habetur si quis viam stipuletur iter vel actum accepto ferat, nullius momenti esse acceptilationem, idemq; probandum, si actus tantum accepto fuerit latus, sed si præter actum iter quoque accepto latus fuerit, consequens esse dicere liberatum eum, qui viam promisit. Quod si ergo servitus itineris in actu contineretur, vix dici posset, quid interesset inter actus & itineris simul, & actus duntaxat acceptilationem, ut nihil interest, an quis viam tantum an verò iter & actum simul accepto ferat.

CLV. Tertio etiam ad primum harum servitutum genus refertur & Via, quam cum Imp: in pr. Inst. d. serv & d. l. 1. ff. d.





S. P. R. definimus, quod sit: Jus eundi & agendi & ambulandi; nam & iter & actum via in se continet.

CLVI. Dicitur esse *jus eundi* ad denotandum, ut via in se contineat non simpliciter Iter, sed *jus Eundi*, id est, servitutem Itineris, & cum dicimus viam in se continere servitutem Itineris, eo non dividimus viam, nam qui viam habet, potest ire & ambulare, aut non jure & servitute itineris, verum Jure viæ *Schifford. ad Fab. lib. 2. tr. 20. quest. 6.*

CLVII. Additur ulterius; esse *jus agendi*, non autem additur agendi vehiculum vel Jumentum sed simpliciter agendi, quo distinguere vult Imperator viam ab actu, cum agendi verbum generale sit, & quemvis actum, sive etiam lapidis tractum & gestationem haltæ (hæc enim etiam jure viæ competunt *l. qui sella in fin. pr. ff. d. S. P. R.*) qualibetve re actum dicatur, designet, & omne factum, quod factum est, sive id factum sit animo, sive corpore, sive omittendo, sive committendo denotet, *arg. l. heredes 21. §. fin. ff. qui testam. facere possunt l. Labeo 19. ibiq; Godd. ff. d. V. S. & similibus.*

CLIX. Via autem in hoc à duobus sup. dictis servitutibus differt, quod hæc, si pactis contrahentium non fuerit definita, expressam & *l. 12. tabb.* determinatam habeat latitudinem, videlicet: ut sit in porrectum octo pedum, in anfractum verò, ubi via flexum habet, 16. pedum *l. via latitudo 8. ff. d. S. P. V. l. nam satis 6. §. ult. ff. quemadm. serv. amittatur.*

CLIX. Huc ultimo etiam referri potest & servitus Aqueductus, quæ est: Jus ducendæ aquæ per fundum alienum. Nam hæc nihil aliud est, quam Iter aquæ, quo per alienum fundum aqua ad nostrum pervenire possumus *l. Quintus 15. ff. d. S. P. R.*

CLX. Secundum servitutem Prædiorum Rusticorum genus esse diximus, earum, quæ ideo comparatæ sint, ut ex alieno fundo quid ad nostrum fundum transferamus, quorum è numero est & eadem: *Aqueductus* servitus; cum nimirum ex fonte aqua ad irrigandū agrum nostrum, per fundū alienum ducatur & vulgo dicitur *Eine Wasserleitung*/ quod fieri solet canalibus, vel fossa ducta vel per quodlibet Instrumentum fictile *l. Quintus 15. ff. d. S. P. R. l. refectionis 11. §. 1. ff. comm. præd.*

161. Huc



CLXI. Huc etiam refertur *Aquahaustus* servitus, quæ est jus aquæ hauriendæ ex flumine, fonte, aut vivo puteo alieno, quatenus ad fundum, cui id Jus debetur opus est *l. ergo §. in fin. ff. d. S. P. R.*

CLXII. Circa hanc servitutem sciendum; quod hæc ex eodem loco pluribus concedi possit, dummodo posterior concessio priorem non impediatur *l. 2. §. ult. ff. si serv. vind. l. aquam 4. C. d. ser. & aqua.* Neq; hoc casu servitus servitutis constituta videtur, cum semper constituatur nova & alia atque alia servitus, quæ non à prima serviture, sed à fundo dependet *l. qui per certum 15. ff. comm. præd.*

CLXIII. *Pecoris ad aquam appulsus* & ad hoc genus secundum spectat, qui est: Jus ad vicini aquas appellendi pecora, ejus adaquandi causa *l. pecoris 4. & l. seq. ff. d. S. P. V. l. 1. §. Trebatius 18. ff. d. aq. quot & astiv. & ea constituitur rectè fundo, cujus maximè fructus in pecore consistit l. pecoris 4. ff. d. S. P. R.*

CLXIV. Si quis autem plura pecora, quam in serviture constituta sunt, ad aquam appellat, non eò amittit servitutem, sed tantum pecora, quæ modum constitutam excedunt, rectè possunt repelli. *l. 1. §. Trebatius 18. ff. d. aq. quot: & astiv: l. 1. §. si duæ res 17. ff. quor legat.*

CLXV. Nemini autè licet pecus suum in alieno pasce-  
re argument. *l. Quintus 39. & l. seq. ff. ad L. Aquil. excepto solo viatore, qui ex constitutione Friderici c. un: §. fin. d. pace ten. tit. 27. lib. 2. Feud. equum suum pabulare in alieno potest, sine tamen aliqua rei devastatione, idq; singulari iter facientium gratia, ne equi eorum fame enecentur. arg. c. scriptum 6. q. 3. Unde reliquis, qui pasce-re volunt in alieno, necesse est, ut id ipsum jus sibi acquirant, quod dicitur servitus pascendi pecoris, & est jus: Pecoris pascendi in fundo alieno, prædii Dominantis causa constitutum *l. 1. §. 1. & l. item sic 3. in pr. ff. d. S. P. R.**

CLXVI. Et serviture hac constituta, nulla autem certa pecoris specie expressa, omnis generis pecus in eo fundo pasce-re potest *arg. l. in tradendis 7. ff. comm. præd. l. certo generi 13. ff. d. S. P. R. non autem licitum esse, in eodem fundo pasce-re pecora morbosa, vult, Harpr. ad prin. Inst. d. serv. num. 93. ne alia pecora*



contagione morboſi pecoris pereant *arg. l. Iulianus 13. in pr. ff. d. act. Empt.* Unde diſtichon

Morbida facta pecus, totum corrumpit ovile,

Ne maculet socias, est separanda grege.

CLXVII. Ad hoc ſecundum genus, ultimo referendas cenſemus ſervitutes; *Calcis coquenda, arena ſodienda l. 1. §. 1. l. veluti 6. §. 1. ff. d. S. P. R.* item *cretæ eximenda, ſigulina habenda & ſimiles.*

CLXVIII. Ultimam ſervitutum Ruſticorum Prædiorum ſpeciem eſſe diximus, quæ fundi noſtri exonerandi cauſa conſtitutæ ſunt, quorum è numero ſunt, monente *Donello lib. 11. comm. c. 8.* ut liceat aquam, quæ in fundo eſt, ſulco aperto educere in fundum vicini; *l. qui duo 29. ff. d. S. P. R.* ut fructus fundi noſtri in vicini villa cogantur, coactiq; habeantur; *l. iter 3. in pr. ff. d. t.* ut mihi cujus lapidicinæ fundi vicini imminent juſ ſit terram, rudus, ſaxa jacere ibique poſita habere *d. l. item 3. ff. d. S. P. R.*

CLXIX. Et tantum de ſpeciebus ſervitutum tam Urbanorum quam Ruſticorum Prædiorum dictum, tractatumve ſufficiat, jam ordinis ratio requireret, ut de cauſa hujus Efficente tam propinquâ, quam Remota nunc videremus; Aſt cum hæ explicatæ ſint (harum enim ſervitutum ſermè eadem cauſæ ſunt quæ Uſusfructus *l. via 5. ff. d. ſerv.*) ſupra *theſ. 59. & ſeqq.* ideoq; ne crambem bis coctam apponere videamur, hiſce prætermiſſis, unam atq; alteram quæſtionem huc ſpectantem, ibiq; non tractatam perlustrare animus eſt.

CLXX. Quærere proinde lubet; An unus ex ſociis fundo communi ſervitutum imponere poſſit? Et non poſſe clare ſcit ex *l. unus ex Dominis 2. & l. ut pomum 8. ff. d. ſerv. l. proprium 5. ff. comm. præd. l. in re communi 26. ff. d. S. P. V.* Ratioq; eſt in promptu: Cum omnis ſervitus naturâ ſua ſit individua, in toto fundo & in qualibet parte fundi tota eſt *l. ſi cui 9. l. via 17. ff. d. ſerv. l. certo generi 13. §. 2. l. via conſtitui 23. §. ſin. ff. d. S. P. R.* Unde toti fundo non poteſt acquiri, quin quæratur cuilibet vel minimæ parti, quod fieri per eum, qui non eſt Dominus, nequit *d. l. certo 13. §. 1. ff.*



§. 1. ff. d. S. P. R. cum absurdum sit alterum ex alterius facto præ-  
gravari l. paterfamilias 44. ff. d. Hered. instit. aut per alterum alteri  
conditionem iniquam inferri l. non debet 74. ff. d. R. I.

CLXXI. Si tamen novissimus & ultimus ex Dominis  
cesserit & constituerit servitutem, præcedentes omnes cessiones  
ex novissimo illo actu confirmantur & fiunt efficaces l. receptum  
18. & ult. ff. comm. præd. Et hoc stricta Juris ratione inspecta  
non obtinet, sed ob utilitatem contrahentium est inductum ut  
ostendunt, verba d. ult. initialia receptum est. Confirmantur au-  
tem priores cessiones cessione posteriori, non quasi hæc retro  
trahantur ad tempus prioris, sed ut perinde habeantur, atque si  
eo tempore quo ultimus cedit, omnes cessissent. Ut constat  
ex d. i. ult. non ergo hic retro fictio, sed fictio tantum locum ha-  
bet, quæ priores cessiones in suspenso habet retentas, donec  
ultima fiat cessio & tunc omnes factæ censentur. Nam lex in  
fictionibus inducendis perpetuo id observat, ut quemadmo-  
dum eas non inducit, nisi ex necessitate, ita nec nisi quatenus  
necesse est, ab eo, quod verum est discedit, facilior autem illa  
fictio est, minusq; a rei veritate abhorrens, ut fingantur omnes  
socii eo tempore cessisse, quo verum est, neminem superesse,  
qui non cesserit; quam ut fingantur cessisse omnes eo tempore,  
quo verum sit, neminem adhuc, excepto uno, cessisse Faber lib.  
19. Conject. c. 16.

CLXXII. Cum autem reliqui socii sciverint socium  
fundo communi servitutem imponere, & non contradixerint,  
impositionem servitutis validam esse censemus: per expressam  
l. Sabinus 28. ff. comm. divid. & qui præsens actui non autem con-  
tradicit eidem, quem tamen sua contradictione impedire pos-  
set, hunc approbasse videtur arg. l. quasitum 60. ff. d. re iud. l. ho-  
nores 7. §. ult. ff. d. decur.

CLXXIII. Sed quid statuendum de Usucapione? Num-  
ne servitutes possunt Usucapi? Nobis Schifford. ad Fabr. lib. 1. tr. 4.  
quest. 6. & Fabr. lib. 19. conject. cap. 10. arridet opinio, servitutes  
non posse Usucapi sed longo tantum tempore acquiri:  
Cum



Cum enim lege Scribonia favore libertatis Usucapio servitu-  
tum sublata esset, (& hanc usucapionem servitutum ante hanc  
legem obtinuisse credimus, si enim non obtinisset, quomodo  
tolli potuisset, cum axioma tritum & verum sit, non Entis nul-  
las esse qualitates, nullas considerationes) in locum abrogatæ  
Usucapionis, postea Prætor longi temporis possessionem (nam  
cum Prætor Juris civilis tantum minister sit, legem Scriboni-  
am, utpote plebi scitum, & sic juris civilis partem §. constat 3.  
Inst. d. l. N. G. & C. in totum tollere nequivit. arg. pr. Inst. d. bo-  
norum posse.) Jurrogavit, id quod docent l. si quis 10. ff. si serv. vind. l.  
apparet 5. §. si quis 3. ff. d. itin. act. priv. qui duo loci sunt ex libris  
Ulpiani ad Edictum, & apertam mentionem faciunt longæ  
Possessionis & Usus diutini, quam introductionem postea con-  
firmavit Imp: Anton: in l. si aquam 2. C. d. serv. & aqu. ubi dicit  
servitutes exemplo rerum immobilium tempore acquiri, id  
quod certè nil aliud est dicere, quam servitutes acquiri longo  
Usu, sicut res mobiles usucapiuntur. Et in toto Jure cum agi-  
tur de præscriptione servitutum usurpantur vocabula longo  
tempore acquiris per longum tempus possidere, ut & longo  
tempore uti l. 1. §. ult. d. aqua plu. d. l. apparet 5. ff. d. itin. act. priv.  
l. si quis 10. ff. si servit. vind. Huc etiam non incommodè refertur  
l. 1. C. d. serv. fug. ubi dicunt Imp: Dioc: & Maxim: in servo fugi-  
tivo nec Usucapionem, nec longi temporis præscriptionem lo-  
cum habere, unde non obscure colligitur, præscriptionem esse  
remedii subsidiarii loco inventam, ( licet hodie idem fermè ef-  
fectum Usucapionis habeat) ut præscriptio procederet in iis, in  
quibus non posset obtinere Usucapio. Jam autem in servitu-  
tibus Usucapionem obtinere non posse monent verba consti-  
tutionis, quæ Usucapio L. 12. tabb: fuit constituta, sic enim in  
hac cautum reperitur: Usus autoritas fundi biennium esto, ce-  
terarum rerum annuus esto, & sanè servitutes utpote incorpo-  
rales fundi appellatione, qui corporalis est, contineri nemo un-  
quam dixerit, licet fundo adhæreant l. servitutes 14. ff. d. serv. &  
hanc rationem esse, quod servitutes non possint usucapi, mo-  
net etiam Paulus in d. servitutes 4. ff. d. serv. ideoq; hoc remedio  
sublato,



sublato, alterum, videlicet præscriptio, à Prætore hujus in sub-  
fidium inventum servitutibus applicatur.

CLXXIV. Sed majoris adhuc momenti videtur quæ-  
stio, An in hac præscriptione necessario titulus requiratur? Re-  
quirunt eum *Corrasius in l. servitutes 14. ff. d. servit. n. 3. Duarenus*  
*lib. 1. dis. 34. Hunnius in Resol. Jur. Civ. lib. 2. tr. 2. quest. 15. non re-*  
*quirunt Donellus lib. 10. comm. cap. 12. Fabr. lib. 19. Conject. c. 10. Schef-*  
*ford. lib. 1. ad Fab. tract. 6. per tot. id quod & nos verum putamus,*  
tum propter textus Juris claros, tum propter rationem. Textus  
Juris clarus est in *l. si quis 10. ff. si servit. vind. clarus est in l. 1. §. fin. ff. d.*  
*aq. pluv. arc.* in quo textu observanda sunt etiam verba *& hoc Jus*  
*in servitutibus nos sequi*, quibus sanè ostenditur, Jus quoddam ir-  
regulare in servitutibus, quoad earundem præscriptionem, ob-  
servari; Si autem titulus requireretur, nihil observaretur singu-  
laris. Cui opitulatur etiam ratio: Quia ut sit acquisitio servi-  
tutis requiritur scientia & patientia Domini constituentis, hæc  
enim in Incorporalibus pro quasi traditione est, *l. ult. ff. d. serv. l.*  
*1. infra ff. d. S. P. R.* absq; traditione autem nulla erit possessionis  
acquisitio. Quæ verò fronte possit is exigere titulum, qui ipse  
tradidit, vel quasi tradidit? cum non verosimile sit tam diu sci-  
entem passurum fuisse servitute uti, nisi servitute vellet huic  
esse constitutam.

CLXXV. Materia servitutum Realium sunt Prædia, tam  
urbana, quam Rustica *l. 1. §. 1. comm. præd. §. ideo 3. Inst. d. serv. Ad-*  
junctum enim sine subjecto suo nunquam esse potest *l. nihil do-*  
*lo 129. §. 1. & l. cum principalis 178. ff. d. R. l. servitutes igitur, ut ad-*  
juncta, sine prædio, tanquam subjecto, nunquam subsistere po-  
terunt *l. si ædes 38. ff. d. S. P. V.*

CLXXVI. Non solum autem requiruntur prædia, sed  
insuper necesse est, ut sint prædia vicina *l. ergo 5. §. 1. ff. d. S. P. R. §.*  
*fin. Inst. d. serv.* vicinitatem autem hic non requirimus anxiam,  
& quæ ex contiguitate loci & non potius usu æstimetur, ut si lo-  
ca publica sint intermedia, & natura servitutis patiatur iisdem  
uti, ut prædiis servientibus, ut in itinere, actu &c. *l. servitus 14. §.*  
*publico 3. ff. d. serv.* hæc servitute non impediunt; Vel si privata,  
quæ

H

quæ



quæ nostra sunt, vel è quibus nobis servitus debetur, hæc enim distantia servitutum non impedit.

CLXXVII. Diximus esse Materiam servitutum tam prædia urbana, quam rustica: hinc quærere libet, quomodo distinguantur ista prædia? Et ea non loco sed usu distingui videtur asserendum per *l. urbana 198. l. urbana 166. ff. d. V. S. l. si prædium 16. C. d. præd. minor. non alien. l. servus urbanus 99. ff. d. Leg. 3. l. quemadmodum 12 ff. d. supp. leg.*

CLXXVIII. Forma autem constituendarum servitutum est, ut accedat scientia & patientia Domini, & usus ejus, qui eam exercet *l. fin. ff. d. serv. l. 1. in fin. ff. d. S. P. R. V. Vesenbec. in parat. ff. d. servit. n. 7.*

CLXXIX. Circa sic jam constituendarum servitutum effectum dubium est an possint oppignorari servitutes? Et servitutes oppignorari posse rusticas, non autem urbanas constat ex *l. si quis 11. §. fin. & l. sedan 12. ff. d. pign.* Et licet hoc cum Jure stricto pugnare videatur, cum servitutes regulariter nec ex tempore, nec ad tempus constitui possint *l. servitutes 4. in pr. ff. d. serv.* tamen contra Juris rigorem propter utilitatem contrahentium receptum est *d. l. servitutes 4. & d. l. sedan via 12.*

CLXXX. Cum autem in rerum natura nihil firmum, nihilque stabile sit, quin patiatur aliquam mutationem; servitutes quoque prædiorum, utpote quæ rebus humanis non sine exemptione, quoque extingui placet: Extinguuntur autem potissimum; Remissione, Confusione, & non utendo.

CLXXXI. Remissione, si is, cui debetur servitus, remiserit: aut Domino prædii servientis concesserit potestatem faciendi quid in suo prædio, quo facto servitus impediatur *l. si præcario 17. in fin. ff. comm. præd. l. si stillicidij 8. ff. quemadm. servit. amitt. l. ad certum 6. ff. d. servit.* Remittentibus enim Jura sua & actiones non est regressus ad ea dandus *l. quæritur 14. §. si venditor 9. ff. d. edil. ed. l. Papinianus 20. in fin. cum l. seq. ff. d. minor. l. qui destiterit 2. ff. ad SC. Turp.*

CLXXXII. Confusione extinguitur servitus, si idem utriusque prædii, servientis scilicet & dominantis, Dominus in solidum esse ceperit *l. 1. ff. quemadm. servit. amitt.* Nec enim cuiquam



quam res sua servit *l. uti fruis. in pr. ff. si usus fr. pet. l. in re communi*  
26. ff. d. S. P. V.

CLXXXIII. Non utendo amittitur etiam servitus, si vi-  
cinus cui servitus debetur inter præsentes decennio, inter ab-  
sentes verò decennio eà servitute non utatur *l. sicut 13. & l. seq.*  
*C. d. servit. & aqua l. nam satis 6. §. 1. ibi aut non utendo l. si com-*  
*munem 10. ff. quemadm. servit. amitt.* Et quidem si rustici prædii  
fuerit servitus, solà ejus, cui debetur servitus, cessatione amit-  
titur, nec est opus factò ejus, cujus prædium servit *l. si partem 19*  
*§. 1. ff. quemadm. serv. amitt.* Si autem urbani prædii fuerit servi-  
tus, non sufficit solus temporis cursus, sed requiritur etiam fa-  
ctum aliquod ab eo, cujus prædium servit, quo aboleat servitu-  
tem, atque libertatem usucapiat *l. hac autem 6. cum l. seq. d. l. si*  
*ædes 32. in pr. & §. 1. ff. d. S. P. V.* Ratioq; hujus differentia, alio-  
rum Dd. opinionibus sepositis, esse videtur hæc: Quod urba-  
norum prædiorum servitutes factò aliquo possideantur & re-  
tineantur, *l. servitutes 20. ff. d. S. P. V.* contrario igitur factò opus  
est, ut earum libertas usucapiatur & ut amittantur. Rustico-  
rum autem prædiorum servitutes solo usu acquiruntur junctâ  
scientiâ & patientiâ Domini *l. si quis 10. ff. si serv. vind.* Ergo & solo  
non usu amitti debent *Faber in Ration: ad d. l. hac autem 6. ff. d. S. P. V.*

CLXXXIV. Ceterum ubi hæc lege fuit constituta ser-  
vitus, ut non nisi alternis annis, vel mensibus, vel uno die per  
quinquennium ire liceat, duplicato præfato tempore, & sic in-  
ter præsentes 20, inter absentes 40. annis, amittitur *l. si sic consti-*  
*tuta 7. ff. quemadm. servit. amitt. l. ult. C. d. serv. & aq.*

CLXXXV. Jure autem Saxonico, ut omnes Res immo-  
biles & Jura, ita etiam servitutes præscribuntur 31. annis 6. se-  
ptimanis & 3. diebus 30. *Jahr/ Jahr und Tag/ Schurff. conf. 2. &*  
*69. n. 7. Landrecht lib. 1. art. 28. & 29. Kopp. obs. 29. n. 23.*

CLXXXVI. Cum hisce servitutibus maximè congruit  
& superficiis: Attamen eam servitutem non esse credimus ve-  
rius, cum prædium superficiarium unum quoddam sit ex solo  
& superficie compositum, *l. eum qui ædes 23. post pr. ff. d. V. suc. in ser-*  
*vitutibus autem Realibus. duo prædia, unum dominans, alte-*  
*rum serviens semper requiruntur l. 1. §. 1. ff. comm. præd. sic etiam*



superficie in nomine actio Confessoria & Negatoria, quæ tamen præ omnibus servitutibus competit, non datur, sed utilis in rem actio competit, *l. superficiario 74. cum l. seq. ff. d. R. V. l. tutor 16. § fin. ff. d. pign. act.* quæ vindicatio etiam Dominium in superficiario arguit *l. in rem 23. ff. d. R. V. domino autem res sua non servit, jure servitutis, l. uti frui 5. ff. si usufr. poss. l. in re communi 16. ff. d. S. P. V.*

CLXXXVII. Haecenus servitutum species, constitutionem, amissionem, ejusq; adjunctum explicavimus, jam Coronidis loco paucis etiam de remediis & actionibus pro hisce obtinendis comparatis videre non abs re esse censemus.

CLXXXVIII. Cum autem quis agit vel ad possessionem, iterum consequendam, quam habuit, (de servitute enim constituta hic loquimur, quatenus à Domino per patientiam & scientiam fuit quasi tradita, de non tradita autem competunt actiones personales pro ratione obligationis, quâ quis se ad tradendam servitutem obligavit) vel ad id actiones instituit, ut eâ servitute, quam possidet liberè uti possit.

CLXXXIX. Priori casu datur Domino actio Realis Confessoria, quâ agitur adversus Juris nostri, vel servitutis nostræ personæ, vel rei ex re alterius competentis detentorem, ut rem nostram nobis ad usum ad quem fuit comparata restituat, *Donellus ad §. equè si quis 2. Inst. d. Act. n. 3. Harpr. n. 1.*

CXC. Hæc q; duplex, directa & utilis; directa quæ datur iis, qui Dominium habent in ea re, cui servitus debetur, ad exemplum vindicationum rerum corporalium *l. de servitutibus 2. §. hæc autem 1. ff. si servit. vind.* Utilis, quæ iis datur, qui habent Jus aliquod dominio directo proximum ut Emphyteuta, vassallo &c. *arg. l. un: §. Item Iuliano 4. ff. d. remiss.*

CXCI. Sed an præter hoc remedium etiam Domino servitutis dentur Interdicta unde vi, & ut possidetis dubium est:



est: Verum non competere videtur vero magis consonum:  
Hæc siquidem Interdicta iis solummodo competunt, qui de  
possessione Rerum. corporalium & Immobilium dejiciuntur  
seu turbantur, l. 1. §. hoc interdictum 3. & §. §. seqq. ff. d. vi & vi arm.  
l. 1. §. 1. & §. hoc interdictum 8. ff. uti possid. servitutes autem uti  
Res Incorporales non possidentur ac proinde pro hisce interdi-  
cta non competunt l. si ades 32. in fin. ff. d. S. P. V. l. servus 43. §. 1.  
ff. d. acquir. rer. Dom.

CXCII. Altero vero Casu, ubi habens servitutem, pro-  
hibetur servitute libere uti, eadem actio confessoria contra  
turbantem & impediens conceditur. Nec refert, à Do-  
mino, vel ab Extraneo quis impediatur aut turbetur, utro-  
que quippe casu Confessoriam dari expeditum  
est argument. l. uti frui 5. §. 1. & ult.  
ff. si usufr. petat.


Soli Deo Gloria.



H 3

Dn. Hen-





Dn. HENRICO SCHRADERO  
Contubernali & amico suo sva-  
vissimo de subtili & eleganti servitutum  
materia publicè differenti.



*Ulcanum si quis sibi perpetuare laboret,  
Grata alimenta illi lignorum præbeat, aut  
quid  
Pingue superfundat, flabrisq; instiget, o-  
portet.*

*Non aliter vigor ingenij genijq; benigni  
Alias expandit patulas & flore superbit,  
Ubere inundetur nisi succu & vomere curæ  
Continuæ proscindatur, nisi splendeat usu,  
Nulla diesq; abeat, quin linea ducta supersit.  
Hoc trutinâ expendis mentis, flos auree Pindi,  
HENRICE, & generis non infima gloria aviti,  
Ex quo Astræa sibi juris delegit & equi  
Haud rarò mystas olim, solatia pressis.  
Doctis hinc chartis non tantum Cynthius, ille  
Flos & honos cæli: verum & soror, aurea Phœbe*

*Se im-*



Te impallescens studiosè sæpè notârunt.  
Non ergo est mirum, si tam bene cultus agellus  
Ingenij multo profundat mergite messem,  
Dum vice non unâ conscendens rostra, plicosos  
Enodas juris nodos successibus æquis.  
Maçte tuo hoc ardore igitur! sic itur ad astra,  
Famaq; perpetuos viget intemerata per annos.  
Tu grassare modò audacter, quò pergis, ad ipsum  
Intimius penetrare DEÆ: sic lata corollam  
Floribus ex variis cervici aptabit amica,  
Quod voveo ex animo, & nisi ludunt omnia mentem,  
Auguror: augurium & votum tu perfice Jovab!

Singularis benevolentia &  
honoris gr:

*l. mg. ita aggr.*

Jacobus Brandenburgius  
Rupino-March.

F I N I S.





Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries. Some words are difficult to discern but may include names or titles.

Jacobus Brandenburgicus  
Regino-Marchi

1. 1. 1. 2.






Wittenberg. Diss., 1613/23

ULB Halle

3


002 673 304



Vb 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Juridica

26  
1622  
35

ITIBUS  
M, PERSO.  
REALIBUS.

ANNUENTE, ET  
in celeberrima VVitte-  
à consentiente

IDIO  
Excellentissimi Viri  
LIS LEDE-  
Æ FACULTATIS  
non Judicii Electo-  
vocati,

gratia exhibet  
HRADERUS  
SAXO.  
rum,  
7. matutinis.

Æ,  
M ANNI, ANNO  
KII.